



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Thomæ Comptoni Carleton, Cantabrigiensis,  
Societatis Jesu, In Collegio Anglicano Leodiensi Sacrae  
Theologiae Professoris, Cursus Philosophicus Universus**

**Carleton, Thomas Compton**

**Antverpiæ, M.DC.XCVII.**

Ex Introductione Ad Logicam.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95656](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95656)



# INTRODVCTIO

## AD UNIVERSAM ARISTOTELIS LOGICAM.

AUCTORE

R. P. THOMA COMPTONO

E SOCIETATE IESU.

P R O O E M I V M,



**T**ractatus iste quem, Dialectica præfigimus, in tyronum, seu I. Logicae candidatorum gratiam præmitti de more solet, tum ut Cur hoc tractatus Logicae præfigatur, vocibus primæ facie peregrinis (iis præsertim, qui absolutis recter literarum humaniorum studiis, ad dialecticas se exercitationes recipiunt) eorum sensim aures assuescant, linguamque ut ita dicam, illius quam ingressuri sunt patriæ, ac loquendi modum addiscant, disputandique rationem ac methodum: tum ut habeant in quo veluti in leuoiri palæstrâ, sese tantisper exerceant, & faciliores quasdam velitationes, concertationesque inter se umbratiles instituunt, quò in solem educti ac pulverem expeditius in Dialectico stadio decerent: tum denique ut prægustatis quibusdam, acriori ad fontem, unde hi rivuli derivantur, perveniendi, plenoque inde ore bibendi studio ferantur.

Multum verò à veritate aberrare mihi videntur ij, qui hanc introductionem, quoddam quasi Logicae compendium nuncupant, & tabulam veluti illius Geographicam, in qua omnes Dialecticae partes summam ac breviter suis quæque lineamentis adumbrentur: Multa namque disputantur in Logica (ut modò ab auctoribus tractatur) ut dum de prædicamentis agitur, prædicabilibus &c. de quibus nullus hic sermo: multa hic proponuntur; de quibus altum in Logica silentium. Mihi ergo dispositio potius quædam ad Logicam appellari posse videtur; qua nimirum Auditorum animi præparantur a subtiliora illa ac sublimiora quæ in Dialectica traduntur, & haurienda libentius & facilius penetranda: Meritò hoc nomine vocata Introductio.

## DISPUTATIO PRIMA.

De Terminis.

### SECTIO PRIMA.

De subiecto, Predicato, & copula.

I.  
Compositum  
Logicum  
imitatur  
compositum  
Physicum.



**T**compositum Physicum materiâ formatâ, & unione, ita Logicum tribus constat, Subiecto, Predicato, & Copulâ, seu unione; adeo verum est, Ars Naturam imitatur. Subiectum à subijciendo nomen desumit, quod scilicet alteri subiaceat quodammodo, ac supponantur; quâ etiam de causâ substratum dici solet, munusque subit materiæ, cui prædicatum mentaliter accedit, dum de eo per intellectum affirmatur, sicque ut forma materiâ physicè, ita hoc subiectum intentionaliter afficit, & informat. Tan-

R. P. Th. Comptoni Philosophia.

dem ut Unio extrema illa physica, ita copula (quæ semper est verbum *sum, es, fui*) subiectum & prædicatum inter se connectit, & copulat. Exempli gratia in hac propositione affirmativa; *Ignis est calidus*. *Ignis* est subiectum, *calidus*, prædicatum, *est* nexus inter utrumque intercedens, eaque inter se uniens.

Advertendum verò, in propositione parum interesse quo loco voces collocentur: Nec enim situs verborum spectandus est sed sensus: quocumque enim loco verbum est statuatur, in principio, medio, vel fine, ut *Aqua est frigida*, *est frigida aqua*; *aqua frigida* est, eadem est propositio & est unionis munere fungitur, significatio enim ut dixi spectanda est, non verborum collocatio.

Ad ulteriorem horum intelligentiam notandum, prædicari unum de altero perinde esse ac unum de altero

I.  
Cur hoc  
tractatus  
Logicae  
præfigatur

II.  
Non rectè  
vocalur  
compendium  
Dialecticae,  
seu summa

II.  
In propo-  
sitione non  
spectatur  
situs ver-  
borum, sed  
sensus.

III.  
Quid sit  
unum de  
altero



## Disputatio 1. Introd. De Terminis Sect. II.

altero prædicari.

altero affirmari, vel ut magis propriè loquamur, non est unum & alterum, sed idem semper est prædicatum & subiectum, alio tamen & alio modo conceptum. Exempli gratia, in hac propositione; *Petrus est doctus*, affirmat pronuntians id quod continetur sub voce *Petrus*, cum eo identificari quod continetur sub voce *doctus*; & sensus est, *habens Petreitatem est habens doctrinam*. Ratione ergo tantum differunt prædicatum & subiectum, & in subiecto consideratur *Petrus* ut substantia tali figuræ, colori &c. in prædicato verò ut substantia doctrinæ, seu ut eam in se continens. Et hic semper est sensus, siue intellectu fiat propositio, siue voce; idem enim voces significant quod conceptus, idem sermone interno & externo, illo nobis, hoc alijs dicimus: de quo disp. 2. Log. iterum recurrit sermo.

IV.  
Quid sit in  
Propositione  
negativa.

In propositione verò negativa contrarium contingit: ut enim in affirmativa Prædicatum identificari asseritur cum subiecto, ita in negativa per adjectionem particule *non* unum de alio negatur, sicque inter se mente vel voce separantur, & prædicatum remouetur à subiecto: *Contrariorum enim contraria est ratio*. In propositione tamen negativa æquè requiritur verbum illud substantivum seu copula atque in affirmativa, alioquin propositio non esset. Non tamen ponitur simpliciter sed particulà illà negativà *non* affecta. Unde hæc propositio *Album non est dulce* de nive prolata est vera, de lacte falsa.

V.  
Sufficit  
verbum poni  
implicitè.

Dum autem dicimus requiri copulam, seu verbum est, non est semper necessarium ut ponatur explicitè, sed sufficit adjectio illius implicita, ut in hac propositione *sol lucet*, ubi tacitè includitur verbum est: perinde enim sonat, ac si quis diceret, *est lucens*: Quod autem de tertia persona asseritur, idem de prima, idem de secunda dixeris, ut; *Ego scribo*; *Tu legis*, & de alijs huiusmodi.

### SECTIO II.

#### Quæ sit natura & definitio Terminis.

I.  
Varia ac-  
ceptiones  
Terminis.

**T**erminus variè à varijs sumitur. Primò, pro fine cuiusque rei, sic lapis in campis fixus agrorum limites significat: sic mors finis vitæ dicitur, & *ultima linea rerum*. Nonnumquam verò capitur etiam pro initio, sic primum & ultimum punctum in linea dicuntur illius termini. Hic in altà acceptione de eo cum Dialecticis disputamus, cum aliquà tamen ad hæc relatione, ut discursu reliquo patebit.

II.  
Rejiciuntur  
aliquæ Ter-  
mini defi-  
nitiones.

Terminus ergo in præsentis sic aliqui definiunt, & imprimis Sotol. i. summul. c. i. *Est vox significativa ad placitum ex quâ simplex conficitur propositio*. Quæ definitio, ut alias ejus impugnationes omittam, hoc saltem peccat, quòd non omni termino, sed soli vocali conveniat, nos autem termini in communi definitionem inquirimus, & quæ omnibus logicis terminis conveniat.

III.  
Voces non  
significative  
possunt esse  
Termini.

Secunda definitio aliorum est, *terminus est signum ex quo simplex constituitur propositio*: ita docti quidam recentiores. Hæc definitio licet ob Doctorum auctoritatem sit probabilis, displicet tamen, quia voces non significantes, quæ proinde signa propriè non sunt, possunt esse termini, ut in hac propositione, *blitiri est vox*, nec enim ad rationem termini requiritur ut vox semper supponat pro alio à se distincto, sed sufficit ut supponat pro seipsa. Voces etiam significantiæ, materialiter seu non ut significantes acceptæ, ut in hac propositione, *nomen est neutrius generis*, *amo est verbum*, non sunt propriè signa, nec supponunt pro rebus à se significatis, sed pro seipsis. Cum ergo ex his confici possit propositio, non est cur excludantur à ratione terminorum, circa ipsa enim aliquid affir-

mamus vel negamus, & quasdam de illis proprietates declaramus. Plures aliæ afferuntur termini definitiones, quas ad amussim discutiendi nec otium est nec animus.

Dico ergo cum Aristotele primo Priorum c. i. *Terminus est extremum in quod resolvitur propositio tamquam in prædicatum & subiectum*: ita Toletus hic, & alij. Explicatur definitio, *extremum* ponitur loco generis, quia per hoc convenit terminus cum punctis terminativis, quæ sunt extrema lineæ, & cum alio quovis extremo rei cuiuscumque. Per alias particulas differt ab omnibus alijs terminis vel extremis, quæ, sub ea ratione qua termini aliarum rerum sunt, non ponuntur in propositione, nec in ea resolvitur propositio tamquam in *subiectum & prædicatum*, sed sunt affectiones quædam & partes quasi integrantes prædicatum & subiectum, ut sunt termini omnes syncategorematici, ut cum dico, *Petrus est valde doctus*, prædicatum est *doctus*, valde autem per se nil significat, nec est prædicatum, sed affectio quædam prædicati, faciens illud aliter significare, quàm sine hac particulâ significaret.

IV.  
Vera Ter-  
mini Defi-  
nitio.

Ratio sumitur primò ex etymologia nominis, terminus enim dicitur à terminando, ergo illa solum sunt termini, quibus congruit ratio terminandi. Deinde est opinio Aristotelis, quæ hoc ipso momenti plurimum apud quemvis philosophiæ studiosum habere debet.

V.  
Terminus  
à terminan-  
do ductus.

Dices, hinc sequi, propositionem posse esse terminum, propositio enim potest esse subiectum, ut in hac propositione, *paries est albus est vera propositio*, ubi subiectum est hæc propositio *paries est albus*. Quòd autem hoc sit falsum, sic ostenditur, nam terminus est pars propositionis, pars autem realiter distinguitur à toto, ergo. Resp. concedendo sequelam cum enim de propositione integrâ affirmari aliquid possit, vel negari, poterit esse subiectum. Nec propositio tantum, sed integer etiam syllogismus potest esse subiectum in propositione simplici seu categorica, ac proinde terminus; exempli g. si quis dicat, *omne totum est majus sua parte, sed homo est totum, & caput pars, ergo homo est major capite est bonus syllogismus*, ubi integer syllogismus est subiectum. Ad id verò quod affertur, terminum scilicet esse partem propositionis, Resp. terminum esse partem propositionis, cuius est terminus, non autem illius cuius non est terminus, nec pars, sed totum: nil autem repugnat, id quod in se est totum quoddam, respectu alterius esse partem, ut in capite respectu hominis, linea respectu superficiæ, & omnium hoc clarissimè apparet in exercitu, vel acervo lapidum. Sic propositio per se sumpta, est totum quoddam, si tamen fiat subiectum alterius propositionis, erit pars illius & terminus.

VI.  
An Proposi-  
tio esse possit  
Terminus.

Instabis, in hac propositione, *Petrus est homo est vera propositio*, ibi prior pars, nempe *Petrus est homo*, non est propositio, nec totum, sed tantum pars. Contra, ergo illa propositio, *Petrus est homo est vera propositio*, est falsa, nam affirmat illa verba *Petrus est homo* esse propositionem, quod tamen est falsum si propositio non sint. Quod autem non consistat & quiescat in ea mens tanquam in sensu aliquo integro, & completo, sed ulterius, tendat, nil obstat propositioni, sic enim nec in propositione hypotheticâ propositiones categoricæ, ex quibus constatur, essent propositiones, cum mens ulterius tendat, ut in hac, *Petrus currit & Paulus scribit*, cum tamen de essentia propositionis hypotheticæ sit constare ex duabus simplicibus, seu categoricis inter se copulatis. Sufficit ergo ad propositionem quòd in ea sistere possit intellectus, esto de facto non sistat, sed tendat ulterius.

VII.  
Occurrunt  
cuidam  
objectioni.

Dices secundo, bona definitio debet esse clarior definito, sed hæc non est clarior, minor probatur primò,

VIII.  
Definitio esse  
debet clarior  
Definito.



## Quid sit Definitio Terminum. Sect. II. & III.

primò, nam definitur terminus per propositionem, sed æquè difficile est scire quid sit propositio, ac quid sit terminus, ergo;

Secundò, definitur terminus hac definitione per subiectum & prædicatum; subiectum autem & prædicatum sunt obscuriora termino in communi, nam includunt naturam termini, & aliquid illi superaddunt, nempe peculiarem rationem prædicati, vel subiecti, ergo.

IX. Resp. primò, posse nos cognoscere ordinem ad aliquid aliud, licet illud aliud non perfectè semper cognoscamus: v.g. non potest quis perfectè cognoscere relationem creaturæ ad Deum, quin ipsum Deum cognoscat, qui est illius ordinis seu relationis origo & terminus, & tamen difficilius est cognoscere Deum perfectè quàm hanc relationem, ergo aliquando relatio ad aliquem terminum est cognitu facilior quàm ipse terminus, quod & in præfati potest contingere.

X. Resp. secundò, sufficere quòd id quod ponitur in definitione, sit clarius quoad nos, licet fortè in se & re ipsa sit æquè vel magis difficile, si enim nos aliunde habeamus aliquam notitiam illius per quod aliud definitur, poterimus maiorem cognitionem illius quod ignoramus, per aliud quod intelligimus, comparare.

XI. Dices tertio, nostram sententiam esse contra omnes antiquos, nullus enim ex antiquis asseruit propositionem esse posse terminum, quod tamen à nobis supra concessum est, ergo. Resp. negando antecedens; ad probationem distinguo antecedens, nullus antiquorum id asseruit explicite, & expressis verbis concedo Antecedens; implicite, & æquivalentibus, nego. Dum enim Aristoteles dicit prædicatum & subiectum esse terminum, eadem operâ affirmat propositionem posse esse terminum, cum prædicatum aut subiectum esse possit.

### S E C T I O III.

*Dubia quædam solvuntur circa termini  
definitionem.*

I. *Dubium circa Propositionem hypotheticam.* Quæres primò, utrùm propositio categorica componens cum aliâ simili propositionem hypotheticam, ut *sol lucet, & nix liquefit*, sit in illa terminus. Resp. non esse, licet enim illæ duæ propositiones simplices sint extrema propositionis hypotheticæ, & inter se unitæ per conjunctionem, & atque in illas resolvatur hypothetica propositio, non tamen in eas resolvitur tanquam in prædicatum & subiectum, una enim propositio ibi non est prædicatum vel subiectum respectu alterius, nec enim affirmo de sole lucente, nix liquefcere, sed habent se quasi disparatè. Unde in definitione termini à nobis tradita genus non est tantum *ly. extremum*, sed hæc omnia *exiretum in quod resolvitur propositio*, differentia tanquam in prædicatum & subiectum.

II. Dices, ergo non conveniunt inter se in ratione propositionis hypothetica & categorica, cum una constet ex terminis, non altera. Resp. i. negando sequelam, nam essentia propositionis non explicatur in ordine ad terminos formaliter, sed in ordine ad affirmationem vel negationem unius de alio, Aristoteles enim primo Prior: c. i. propositione definit, quòd sit *aliquid de aliquo affirmativè negativè oratio*. Cum ergo in hoc, hypothetica conveniat cū categorica, non differet ab eâ nisi quoad modum, nempe quòd affirmet copulatè, & categorica solum simpliciter, quæ est merè materialis differentia.

III. Deinde dico, habere propositionem hypotheticam terminos in quos tanquam in subiectum & prædicatum aut subiectum esse possit.

*R. P. Th. Comptoni Philosophia.*

prædicatum resolvatur, non immediatè, sed mediatè; immediatè enim resolvitur in duas propositiones categoricas, quæ, ut ibi termini non sunt, cum propositiones illæ duæ categoricæ subiectum & prædicatum in propositione hypothetica non sint, ut dixi nec esse possint, cum non *de se invicem, nec de alijs, nec alia de ipsis affirmantur*. Mediatè tamen resolvitur in terminos, quia immediatè resolvitur in propositiones categoricas, quæ in terminos immediatè resolvuntur. Sicut equus & leo immediatè resolvuntur in corpus & animam, seu materiam & formam, mediatè in puncta & partes proportionales, quia materia eorum & forma immediatè in illa resolvuntur.

Quæres 2. utrùm verbum *est*, seu unio prædicati & subiecti sit terminus? Certum est primò, si materialiter sumatur, posse esse terminum, ut si dicas, *est est verbum, est est unio, &c.* Quæstio ergo procedit in propositione formali, & ubi exercet rationem unionis, ut in hac & similibus, *Petrus est homo*.

Probabilius mihi videtur etiam in his & similibus propositionibus, unionem ad terminum reduci posse. Ratio est primò, quia termini syncategorematici aliquo modo ad terminos reducuntur, ad prædicatum scilicet & subiectum tanquam affectiones eorum, sed unio est etiam affectio extremorum, ergo reduci poterit aliquo modo ad rationem termini: Major constat ex explicatione definitionis termini supra posita. Minor probatur, unio est nexus extremorum inter se, ergo essentialiter ea afficit, sicut unio inter materiam & formam leonis, vel hominis. Conf. unio est terminus syncategorematicus, per se nihil significans, sed faciens extrema aliter significare quàm antea significabant, cur ergo excludetur à ratione termini, saltem syncategorematici, communis autem sensus Dialecticorum est terminos syncategorematicos esse terminos, sic enim ab omnibus appellantur.

Dices, unio non potest esse prædicatum, vel subiectum, ergo nec terminus, hæc est enim termini definitio. Resp. primò, distinguendo consequens, ergo nec terminus, licet sumptà ratione termini, concedo consequentiam, ergo nec terminus reduci potest, nego; dicimus enim unionem seu *est* in tantum esse terminum in quantum est affectio prædicati & subiecti, qua ratione termini syncategorematici vocantur termini. Resp. secundò, distinguendo antecedens, non potest unio esse subiectum vel prædicatum ut quod, concedo consequentiam, ut quo, nego: esse autem subiectum vel prædicatum ut quo, est esse rationem per quam aliqua sunt subiectum & prædicatum, quod in præfati contingit, nam vox *homo*, quæ antea non erat subiectum, & vox *animal*, quæ non erat prædicatum, si interponatur *est*, fiunt subiectum & prædicatum, ut *homo est animal*. Unde sicut corpus & anima, homine jam mortuo, non sunt actu partes illius, sicut tamen partes si denuò uniantur, sicque unio respectu corporis & animæ dicitur pars, non ut quod, sed ut quo, ita in præfati.

Dices secundò, unio in propositione essentialiter est medium inter extrema, ergo non potest ullâ ratione subire rationem extremi. Distinguo antecedens, est medium simpliciter & ut quod, nego antecedens, ut quo & secundum quid, concedo: unde quid non obstante hac unione, dicuntur nihilominus extrema immediatè inter se uniri, quod dici non posset, si aliquid ut quod intercederet. Ex. gr. rami non dicuntur immediatè uniri radici in arbore, quia mediat truncus, nec manus humero, quia mediat brachium; anima verò & corpus, non obstante unione intermediâ, dicuntur ab omnibus im-

*hypothetica  
resolvatur  
in terminos.*

IV.

V.

*Virum copula in propositione dicti possit Terminum.*

VI.

*Copula, est Terminum reductivè, & ut quo.*

*Quid sit esse Terminum, ut quo.*

VII.

*Medium simpliciter, & secundum quid.*



VIII. mediatè inter se uniri, quia tantum mediat aliquid ut quo.

Unde ad consequentiam Resp. primò, esto non possit esse extremum, potest tamen esse affectio extremi, quod sufficit ut sit terminus reductivè, ut supra dictum est. Resp. secundò, distinguendo consequens eodem modo quo antecedens, non potest esse extremum ut quod, concedo consequentiam, sic enim requireret aliam unionem qua uniretur, & illa aliam, & sic in infinitum: non potest esse extremum ut quo, seu non potest esse ratio per quam aliud sit extremum, aut prædicatum & subiectum, nego.

IX. *Modus defendendi unionem non esse Terminum.* Quod si quis defendere velit unionem non esse omnino terminum, cum sit essentialiter medium inter terminos, non abnuo; tunc verò interpretari debet definitionem termini ab Aristotele traditam, ut tantum intelligatur de subiecto & prædicato ut quod, seu de principali, quod non incongruè defendi potest.

X. *An verba extra propositionem sint Termini.* Quæres tertio, utrum vox homo v.g. extra propositionem sit terminus; videtur enim secundum nostram termini definitionem non esse, cum extra propositionem non sit prædicatum, nec subiectum, nam, nisi dum actu in propositione est, nihil de eâ affirmatur vel negatur. Dico tamen, etiam extra propositionem, illam & similes voces esse terminos, ad hoc enim ut sint termini, sufficit quod aptitudinaliter seu potentia sint prædicatum & subiectum, id est, quantum est ex se, sint proximè aptæ ut constituent propositionem, & fiant in actu secundo prædicatum & subiectum. Unde actualis compositio propositionis est proprietas tantum, non essentialis termini.

XI. *Verba in definitionibus non important actum, sed potentiam.* Non est ergo ex hoc capite quin definitio termini ab Aristotele tradita sit essentialis, verba enim in definitionibus non important actum, sed potentiam: sic dicimus, planta est quæ vegetat, animal quod sentit, homo qui ratiocinatur, & tamen actualis ratiocinatio non est de essentia hominis, sic enim homo dormiens non esset homo. Item Porphyrius tractatu de quinque universalibus definit genus esse id quod prædicatur de pluribus differentibus specie, & tamen certum est actualè prædicationem non esse de essentia generis.

XII. Dices primò, si actualis compositio propositionis sit proprietas termini, ergo semper reperitur cum essentia, proprietas enim live passio separari ab essentia non potest. At sanè qui hoc objicit, non videtur recordatus quatuor esse proprietatum species, inter quas tertia earum est quæ omni conveniunt, non tamen semper, ut ridere & ratiocinari proprietates sunt hominis, licet non rideat semper,

nec semper ratiocinetur.

Dices secundò, terminus à terminando dicitur, sicut & signum à significando, ergo non est terminus actu vel signum, nisi dum actu terminat & significat, ergo nullæ voces extra propositionem sunt termini. Concessio antecedente, nego consequentiam, non enim idem est esse terminum actu & terminare actu, licet inde sumatur nominis etymologia, sicut juxta S. Thomam licet lapis dicatur à lapidando pedem, est tamen actu lapis, quando non actu lādīt pedem. Sic etiam ramus appensus est signum vini vendibilis, etiam quando nemini actu significat esse vinum illic vendibile. Sicut similiter licet mensura dicatur à mensurando, vina v.g. decem pda, vel modius, sunt tamen actu mensuræ licet nullus actu iis utatur, ut enim actu mensuræ sint, sufficit quod aptitudinem proximam ex parte sui habeant ad metiendum.

Quæres quartò, utrum literæ possint esse termini? Resp. si solitariè sumantur, posse, ut si quis dicat, est litera, &c. tunc enim possunt componere propositionem, & esse prædicata & subiecta. Idem est de vocibus non significativis. Si verò non sumantur solitariè, sed ut componunt verba immediatè, mediatè propositionem, non sunt termini, sed constitutiva quædam & integrantia terminorum.

Quæres quintò, utrum definitio illa, quam ex Aristotele supra statimus termini, essentialis sit, an accidentalis. Resp. licet actualitas illa quam verbis præ se fert, non obstat quo minus essentialis esse possit, ut supra diximus, cum verba in definitionibus non important actum, absolute tamen puto non esse essentialem, sed accidentalem. Ratio est, quia essentialitas alicujus rei est primus illius conceptus, ergo definitio illa quæ non traditur per primum seu primum conceptum, sed solum per secundarium, non erit essentialis, at hujusmodi est præfens definitio, ergo: Probatur subsumptum, traditur hæc definitio per res solvi, sed hic est tantum secundarius conceptus termini, non primarius & proprietas ejus, non essentialitas, ergo: Minor probatur, prius est terminum constituere propositionem, seu esse aptum ad illam constituendam, quam res solvi, nihil enim res solvi potest in aliquid, nisi quod ex eo prius componitur; cum resolvere aliquid, sit illud in partes dissolvere, ergo prius est terminos esse aptos ad constituendam propositionem, quam in illos posse propositionem resolvere, ergo posse constituere propositionem est primarius termini conceptus, & illius essentialitas. Unde essentialis termini definitio hoc modo à priori assignari posset, terminus est extremum, ex quo constituitur propositio tamquam ex prædicato & subiecto.

XII. Non est idem esse Terminum actu & terminare.

XIV. Num litera A.B.C. possint esse Termini.

XV. Hæc Termini definitio est accidentalitas.

Essentialitas Termini definitio.

## DISPUTATIO II.

### De Divisione Terminorum.

#### SECTIO PRIMA.

##### Terminus Mentalis, Vocalis, & Scriptus.

I. *Terminus Mentalis, Vocalis, & Scriptus.*

Id videtur primò Terminum in mentalem, vocalem, & scriptum, juxta tres modos quibus homines loquuntur. In mentalem, qui in propositionibus mentalibus reperitur, quibus quis secum loquitur, seu quod eodem recidit, res intelligit, vocalem in ordine ad propositionem vocalem, ut aliis animi sui sensa aperiat, seu ut cum aliis loquatur: & in scriptum, quia voces transeunt & non sunt permanentes, nec totæ simul, nec omnibus

præfentes, & ob eam causam inventa est scriptura, quæ est veluti locutio quædam permanens.

Terminus ergo mentalis est extremum ex quo constituitur propositio mentalis, quæ licet simplex qualitas sit, potest tamen mente distingui, & considerari prout correspondet rei quam repræsentat pro subiecto, & rei quam repræsentat pro prædicato, sicque formaliter à se distingui, & hæc ratione esse prædicatum & subiectum repræsentativè & ut quo, seu id per quod res sunt prædicatum & subiectum, sicque dividitur propositio mentalis in partes seu terminos, non realiter, sed formaliter distinctos. Simplex autem terminus mentalis seu extra propositionem

II. Terminus mentalis non datur realiter, sed tantum ratione.

Non reperitur extra Propositionem.



nem nunquam cum alio simili termino propositionem mentalem componere potest, cum sit realiter ab illo distinctus, licet accommodatione quadam nonnulli ad terminum mentalem reducant, quatenus representat id extra propositionem quod alius in ea representat. Terminus vocalis est *extremum ex quo constituitur propositio vocalis tanquam ex subiecto & predicato.*

Terminus vocalis.

III.

Hic de voce obiter notandum occurrit, esse eam hominibus & bestiis communem, vox namque definitur ab Aristotele secundo de Ani. tex. 9. his verbis, *vox est sonus ab ore animalis prolatus, cum imaginatione quadam aliquid significandi, saltem delectationem illam quam in ipsa voce emittenda percipit.* Unde 7. Pol. c. 2. ait idem Aristoteles, *vox est molesti & iucundi significatio*; quare tussis, & sonus cicadarum aliter efformatus, non vocali arteria, voces non sunt, sicut nec alia omnia quæ vel non ore, vel non cum imaginatione significandi efformantur.

Vox definitio, & quibus conveniat.

IV.

Quæri hic solet, utrum ratio termini primario conveniat *vocali, & scripto, an mentali.* Resp. in ratione formali termini iuxta definitionem Aristotelis à nobis supra explicatam, magis primario convenire rationem termini termino *vocali & scripto*, quam mentali. Ratio est breviter, quia terminus est *extremum in quod resolvitur propositio tanquam in subiectum & predicatum*, propositio autem mentalis proprie in se prædicatum & subiectum non habet, cum una pars propositionis de altera non affirmetur, quippe quæ partes non habet.

## SECTIO II.

*Dividitur Terminus in significativum, & non significativum.*

I.

Terminus significativus, & non significativus.

Secundo dividitur Terminus vocalis & scriptus in *significativum, & non significativum.* In significativum, ut *homo, equus, leo &c.* non significativum, ut *Blitiri, Syndapsis.* Unde vel ex ipsa divisione constat, falsum esse quod dicunt aliqui, *Blitiri* in propositione esse signum sui, seu se significare, scienim nullus esse terminus non significativus, ac proinde falsò à Dialecticis assignata esset hæc divisio. Per terminum significativum intellige significativum ad placitum, nam nulla est vox, quæ non significat naturaliter suum prolatorem; sicque per accedens potest eadem vox esse signum naturale simul & ad placitum respectu ejusdem, ut vox *homo* ab homine prolata, aut si Petrus de se loquatur. Tandem voces aliquæ sunt mixtæ, ut *mugitus, sibilus, & similes*, quæ & naturali sono referunt, & ad placitum significant id ad quod imponuntur.

Vox naturaliter significat suum prolatorem.

Voces mixtæ.

II.

Homo animal sociabile.

Dices, voces significare res naturaliter, ergo non ad placitum; Antecedens probatur, homo enim est naturaliter sermocinativus, & animal sociabile, ergo debuit natura providere ipsi instrumenta, quibus naturaliter mentem suam aperiret, ergo voces significant naturaliter, alioquin non fuisset illi sufficienter à natura prospectum. Resp. negando primum antecedens. Ad probationem dico, sæpè facultatem operandi naturalem esse, cum tamen instrumenta per artem sint fabricata. Sufficienter ergo egit cum homine natura quod rationem ei tribuerit, qua possit sibi instrumenta ad conceptus aperiendos comparare. Sicut licet hominem nasci voluerit nudum, cum cæteris animalibus vestes tribuat, sufficienter tamen illi providit, cum rationem & alia instrumenta illi dederit, quibus aptare sibi vestes possit.

Abunde à natura homini prospectum.

III.

Dices secundo, quod est essentiale seu de essentia alicujus rei, est illi naturale, sed est de essentia vo-

R. P. Th. Comptoni Philosophia,

cum significare, ergo & naturale, ergo naturaliter significant, non ad placitum. Resp. primò distinguendo minorem, est de essentia vocum significare postquam est eis imposita significatio, concedo minorem, antequam imponatur significatio, nego, siquæ negatur consequentia. Secundo Resp. distinguendo majorem, id quod est alicui essentiale, est illi naturale, id est, essentia sine eo consistere non potest, concedo majorem, est illi naturale, id est, non impositum ab alijs, nego: ipsa enim essentia est ad placitum, & ab hominum voluntate pendens. Sicut in re artificiali, quæ eadem & artificialis est & naturalis seu naturam aliquam habet ab alijs distinctam, ut in imagine, quæ per artem fit, ubi ipsa essentia & natura imaginis fit per artem, & est artificialis. Sic in præsentī eadem essentia est naturalis supposita impositione, & ad placitum, cum ipsa impositio fit ad placitum.

Obijcies contra hanc divisionem termini in significativum & non significativum, nam nullus videtur terminus non significativus, ergo mala definitio: Probatur antecedens, nullus est terminus ex quo componi non possit propositio significativa, ergo nullus est terminus non significativus; patet consequentia, quia *propositio est oratio verum vel falsum affirmans aut negans*, ergo omnes partes debent significare, propositio autem nihil est aliud quam ejus partes, sicut nec homo quam partes hominis unitæ. Conf. quia si possit propositio componi ex uno termino significativo, & alio non significativo, propositio erit & significativa & non significativa, quod implicat.

IV.

Ad argumentum resp. negando primum antecedens, ad probationem concessio antecedente, nego consequentiam, ad cuius probationem dico, ut propositio affirmet aliquid vel neget, imò ut sit significativa, non requiri ut utraque pars significet, sed sufficit quòd altera significet, sicut ut homo dicatur corporeus, sufficit quòd altera ejus pars sit corpus. Ad confirmationem distinguo antecedens, erit significativa, & non significativa simpliciter, nego antecedens, ex parte, concedo: sicut nec homo absolute est dicendus non esse spiritualis, quia alteram partem habet non spiritualement, particula enim *non*, ut aiunt Dialectici, est malignantis natura, & totum, cui applicatur, destruit seu negat; unde nisi restringatur ejus vis per illa verba *ex parte* significabit propositionem secundum nullam sui partem esse significativam.

V. Propositio compacta ex termino significativo & non significativo.

Particula Non est malignantis natura.

Quæres ulterius, utrum voces articulatae pſittacorum sint signa ad placitum, aut termini. Resp. affirmativè, sicut & voces dormientium; propositio enim à pſittaco prolata facit nos pervenire in cognitionem rei per illam significatæ, æquè ac si proferretur ab homine, & alioqui si quis ignarus linguæ latinæ verba aliqua latina proferret, scriberet vel imprimeret, non essent signa vel termini, quod tamen videtur per se falsum, ad hoc enim ut sint termini vel signa, sufficit quod sint ad significandum imposita, à quocumque demum proferantur. De quo plura dicuntur d. 42. log. f. 3. n. 8. Verum est quidem respectu pſittaci non esse significativas, nec terminos, aut propositiones formaliter, sed solum materialiter, quia ille sensum verborum illorum non percipit, nec percipere potest, aut ea ad quidquam significandum proferre.

VI.

Voces pſittacorum aut sint Termini.

## SECTIO III.

*Divisiones Termini mentalis.*

I.

Terminus mentalis in ultimum dividitur, & non ultimum: ille est, cum quis percipit rem

Terminus ultimus, & ultimus, & non ultimus.

A 3

per



per signum vel terminum significatam, ut si quis auditā voce leo non vocem tantum concipiat, sed leonem, aut, viso lapide in agro fixo, cognoscat eoufque extendi alicujus limites & dominium, non ulterius? Non ultimatus est, cum quis percepto signo in eo sistit, & ad rem per illud significatam non penetrat, ut si ignarus linguae latinae audiret vocem *homo*, vel imperitus logicae hanc vocem *terminus syncategorematicus*. Terminus verò seu conceptus ultimatus consistere potest vel in esse signi, vel signati, seu rei in esse signi, cum quis percipit rem per signum significatam, licet non discutiat naturam signi prout res quaedam est, & habet suam peculiarem naturam & proprietates in esse rei: rusticus exem. g. novit vocem *homo* significare hominem, non tamen novit sitne substantia, qualitas, actio &c. cognoscit ergo vocem *homo* ultimata in esse signi, non in esse rei. Si quis verò philosophus audiens buccinam canentem classicum, speculetur naturam soni per tubam effecti, non considerans rem per tubam sonitum significatam, cognoscit signum in esse rei, seu materialiter, non in esse signi.

II.  
Terminus  
directus, &  
reflexus.

Non est actus  
reflexus  
dum intel-  
lectus cog-  
noscit se.

Dividitur secundò, Terminus mentalis in directum & reflexum. Directus est qui terminatur ad rem distinctam ab actu ejusdem potentiae, ut actus quo concipio equum, leonem &c. Reflexus est qui supra actum ejusdem potentiae reflectit, ut si quis cogitet de sua cogitatione praesenti vel praeterita, idque vel eodem actu vel diverso. Hæc enim est vis intellectus, ut possit supra suos actus reflectere: dum autem potentia intellectiva se cognoscit, non est cognitio reflexiva, sed ad hoc debet suos actus cognoscere, tum quia cognitio reflexa est cognitio cognitionis ejusdem potentiae; tum quia nullus dicit potentiam visivam seu oculum esse reflexivum sui, cum se videt in speculo. Hæc de termino mentali sufficiant, reliquus nobis erit sermo tantum de vocalibus.

#### SECTIO IV.

*Divisio Termini vocalis in Categorematicum & syncategorematicum, communem & singularem, univocum, Analogum & Equivocum.*

I.  
Terminus  
Categorematicus.

Syncategore-  
maticus.

Termini  
syncateg.  
apud com-  
parantur  
consonan-  
tibus, &  
numerus.

II.

Dividitur primò Terminus vocalis (idem est tum in hac, tum in alijs sequentibus divisionibus de scripto) in Categorematicum, syncategorematicum, & mixtum. Terminus Categorematicus est qui per se aliquid & completè significat, ut *homo*, *leo*, &c. ac proinde in propositione simplici integrum subiectum aut prædicatum esse potest. Syncategorematicus est, qui per se & separatim nihil significat, junctus tamen categorematico facit illum aliter significare, sicque non tam significare dicitur, quam consignificare, integrum proinde prædicatum aut subiectum esse nequit, ut *omnis*, *nullus*, *valde* &c. Unde quoad hoc comparatur terminus syncategorematicus consonantibus, quæ per se non sonant, junctæ tamen vocalibus faciunt eas aliter sonare, seu earum sonum modificant.

A nonnullis etiam non incongruè comparantur termini syncategorematici numeris arithmetici, in quibus numerus seu littera *I* solitarie sumpta denotat unitatem tantum simplicem, si tamen addatur *O*, importat univocalem decies multiplicatam, non quod *O* denarium illic numerum importet, aut alium quemcunque, sed nota tantum est, indicans debere *I* aliter significare, unitatem nempe cum modo talis multiplicatus. Quod videtur affirmari ex Aristotele secundo Perierm. c. 1. dicente, *Omnis*

& nullus non significant universalitatem, sed tantum sunt nota universalis predicationis, unde si duo audiant hanc vocem *omnis*, alter latine linguae peritus, alter rudis, neuter format conceptum objectivum ultimum, sed alter in solâ voce sistit, alter dictionem aliam statim novit secuturam quæ ab hac voce sit modificanda, ut visu fulgure expectamus tonitru. De significatione verò numerorum plura dicam in Logica d. 42. f. 5. n. 10. Mixtus denum terminus est qui categoriæ & syncategorema simul in se virtualiter includit, ut *semper*, id est, omni tempore, *doctè*, cum doctrina, *nemo*, nullus homo, & similia.

Terminus  
mixtus.

III.

Secundò dividitur in terminum communem & singularem. Communis est, qui significat rem pluribus diversim communicabilem, sive actu existant, sive non: sic *sol* & *phœnix* sunt termini communes, & *homo* esset, si Petrus solus existeret. Unde Deus terminus communis esse nequit. Exercitus (idem est de terminis alijs hujusmodi) si referatur ex. g. ad hunc & illud exercitum, est terminus communis, secus si ad hunc & illam militem, ut enim sit terminus communis, tota ratio per verbum significata debet in quolibet particulari reperiri, quod respectu singulorum hic fieri nequit, cum de singulis affirmari non possit quod sit integer exercitus. Terminus singularis est, qui unam rationem significat non communicabilem à multis, sed ab uno tantum, ut Petrus de hoc homine, vel de pluribus collectivè, ut Londinum, Leodium de omnibus civibus, exercitus de militibus.

Terminus  
singularis.

IV.

Tertio dividitur in terminum univocum, equivocum, & analogum. Terminus univocus (de univoco univocante sermo est, seu de voce, non de univoco univocato, seu de re per vocem expressâ) est qui vel unam rem solam & singularem significat, ut Deus, vel plura per modum unius, ut scilicet in unâ aliqua ratione per nomen aliud importatâ conveniunt, vel sunt similes, ut *homo* respectu omnium hominum, *animal* respectu animalium, quæ licet secundum proprias rationes inter se sint dissimilia, non tamen ut hoc nomine *animal* significantur.

Terminus  
univocus.

V.

Terminus æquivocus est, qui unum nomen cum sit, plura significat ut plura, seu ut diversa, & non ut in unâ aliqua ratione conveniunt, ac proinde solum nomen habent commune, ut *gallus* respectu galli gallinæ, & incolæ illius regionis. Ubi notandum, licet res per hoc nomen significatæ in aliqua ratione univocè conveniant, ut in ratione animalis, viventis, vel substantiæ, non tamen in ratione per hoc nomen importatâ. Unde licet *animal* respectu incolæ illius regionis, & galli gallinæ sit terminus univocus, cum eos significet ut conveniunt, non tamen hæc vox *gallus*, quia eos significat secundum particulares rationes, & ut differunt. Quia etiam de causâ Petrus ab omnibus dicitur nomen æquivocum. Terminus æquivocus, alius à casu, cum merè per accidens aliqua idem nomen fortuitur: alius à consilio, quando idem respectu ad aliquod unum contingit ob rationem tamen utrique extrinsecam, ut nomen Petrus, quod ob reverentiam erga D. Petrum varijs subinde hominibus imponitur.

Equivocum  
à casu, &  
à consilio.

VI.

Terminus analogus est, cujus cum nomen sit unum, significat plura, non ut omnino plura nec ut omnino eadem, sed plura cum quadam proportionem & similitudinem ad unum: ut *sanum*, cujus significatum principale est sanitas hominis, minus principale sanitas medicinæ, cibis, pulsus, &c. Sic Nero de crudeli illo Imperatore primariò, de alijs hominibus secundariò dicitur: *risus* de hominibus & prato, & metaphoricè propè omnes dictiones. Analoga & Equivoca aliquando ad unum restringuntur, & sunt univoca, cum alijs modis, tum præcipuè per appositum prædicatum: Talia enim sunt subiecta, (ut docent Dialectici)

Analoga &  
Equivoca  
per restrictio-  
nem sunt  
univoca.

Ætici



Alci) qualia permittuntur a prædicato, ut si quis dicat, canis latrat, risus profusus &c. simpliciter autem sumptus terminus analogus stat pro famosiore, seu principali, ut sanum pro sanitate hominis. Sed de his plura in logica d. 39.

VII. Terminus aequivocus & analogus dicitur unus non simpliciter sed per accidens, & subiecto, cum enim significatio sit de conceptu horum terminorum, & significatio sit multiplex, terminus etiam in his debet esse multiplex, vocatur tamen unus subiecto, quia subiectum significationis est unum: sicut paries simul visus a multis hominibus visionibus diversis, non dicitur multa videri, sed unum, & qui novit plures artes unus vocatur artifex.

VIII. Dices, non potest terminus aequivocus esse prædicatum vel subiectum, cum in una tantum significatione verificari possit: ergo non congruit ipse definitio termini, ac proinde male vocatur terminus. Distinguo antecedens, terminus aequivocus reduplicative, seu ut aequivocus non potest esse prædicatum aut subiectum, concedo antecedens, specificative, seu terminus qui est aequivocus, nego; ac propterea necessarium est scire varias quas habet significationes, ut sciamus in qua tandem verificetur in quavis propositione.

IX. Dices secundò, Terminus aequivocus est univocus, ergo mala divisio: Antecedens probatur, hæc vox terminus aequivocus convenit æqualiter omnibus terminis aequivocis, ergo significat plura ut conveniunt in ratione aequivoci, ergo convenit ipsi definitioni termini univoci, ergo est terminus univocus. Distinguo primum antecedens, est univocus accidentaliter, & in actu exercito, respectu suorum inferiorum, a quibus abstrahitur, concedo antecedens, in actu signato & essentialiter, seu respectu rerum quas significat, nego. Sic hæc vox verbum in actu signato & essentialiter est verbum, quia significat verba, quod est de illius essentia, at in actu exercito est nomen, id est, exercet in constructione, & propositionibus officium nominis, sic etiam substantivus in actu signato est substantivus, in actu exercito adjectivus, & familia propè infinita.

## SECTIO V.

Terminus Complexus & Incomplexus, Concretus & Abstractus, Absolutus & Connotativus, Denominativus & Denominans.

I. Quartò dividitur Terminus in Complexum, cuius partes retinent eandem significationem in composito, & extra illud, ut homo albus, sin verò transeant in unum verbum, saltem retinent significationem affinem, ut Respublica: & in Incomplexum, cuius partes ut in illo sunt, nihil significant, quamvis extra illum, sensum aliquem habeant, ut Dominus, Erasmus. Unde ad complexum ex duobus verbis requiritur aliqua unio, vel conjunctionis alicujus, ut elephas & leo, vel adjectivi cum substantivo, ut aer lucidus &c. Quare defectu horum, hæc verba homo, equus, leo non sunt terminus complexus, nec proconsul & similes termini, quia utraque pars extra propositionem non significat. Quando verò duo verba ad terminum complexum ex duobus factis uno componendum concurrunt, illa ibi non sunt verba sed syllabæ, sicut ex mixtione albi & nigri confurgunt colores medij, ab utroque distincti, & non remanent albedo & nigredo.

II. Ad terminum porro complexum constituendum non debent esse termini synonymi, ut Marcus, Tullius, Cicero, compositio enim est diversorum unio, hæc autem verba non sunt diversa secundum signifi-

tionem quæ hic præcipue spectatur. Ad terminum etiam complexum requiritur ut significet per modum complexi, hoc est, utramque partem explicitè, unde album, licet significet idem quod habens albedinem, non est terminus complexus, sicut illud, sicut nec homo, licet idem significet quod animal rationale quoad rem, non quoad modum significandi, quia non significat explicando partes, & eas conjungendo.

Quintò dividitur terminus in Concretum & abstractum: Terminus Concretus est, qui aliquid per modum compositi ex materia, vel quasi materia, & forma, vel quasi forma importat, ut album significat albedinem in corpore ut in subiecto, & homo hominem constitutum ex naturâ humanâ tanquam formâ, & supposito ut subiecto. Terminus abstractus formam tantum significat, non subiectum, ut albedo, humanitas. Id verò hic notandum, posse eundem terminum respectu diversorum esse simul concretum & abstractum, si non ultimò abstrahatur, albedo ex: g. respectu subiecti seu parietis est terminus abstractus, at respectu albedineitatis, quam in se includit, quæque velut formâ metaphysica constitui dicitur (ac proinde hæc ab illa abstrahi potest) est terminus concretus. Unde homo, album, & huiusmodi sunt termini concreti ultimò, ita scilicet ut non possint esse forma respectu alterius: albedo est terminus concretus non ultimò: albedineitas est terminus abstractus ultimò, quia non potest illi dari alia forma respectu cuius sit subiectum, at albedo est terminus abstractus non ultimò.

Sextò dividitur in Absolutum & Connotativum Terminus absolutus quoad præsens, seu in ordine ad componendam propositionem, est ille, qui in perfectâ significatione non pendet ab alio termino cui adiaceat, res quippe independentes vocamus absolutas in eâ ratione, qua independentes sunt, ut homo, Petrus, albedo, & omnia substantiva, vel alia substantivè sumpta, ut album, dulce, &c. cum substantivè sumuntur, non minus quàm vox compositum substantivè sumptum.

Terminus etiam Connotativus pro præsentia, est qui connotat alium terminum cum quo perfectè significet, & cui adiciatur, ut, albus, & cæteri termini adjectivi. Declaratur: nam non est ratio connotativi desumenda a significatione præcisè, sic enim omnes propè termini essent connotativè, dominus enim connotat dominium, cæna tempus vel pertinet, materia & forma se mutuo connotant & respiciunt, resque adeò omnes quæ aliquam inter se connexionem habent. Nec desumenda ex eo est quod connotet aliquid in se inclusum, sic enim homo esset terminus connotativus, cum sit idem ac habens humanitatem, non minus quàm albus habens albedinem. Desumi ergo debet in ordine ad adjacentiam, quæ in termino adjectivo importatur, non ex parte formalis tantum significari, sed etiam materialis, seu ex parte etiam subiecti, non solius formæ, ut postea videbimus.

Septimò, dividitur terminus in denominativum & denominantem. Ille est qui ab alio desumitur tanquam ab aliquo priori, ut justus a justitia, unde è contra, terminus denominans is est, a quo denominativus deducitur, ut justitia est terminus denominans hominem vel Angelum justum.



## SECTIO VI.

*Terminus substantivus, & Adjectivus, Transcendens, & non Transcendens, Finitus, & Infinitus.*

I.  
Terminus  
substanti-  
vus, & ad-  
jectivus.

**D**ividitur Terminus octavo, In substantivum, qui significat rem per modum per se stantis, ut homo, idque licet in re non per se subsistat, sed alteri inhæreat, ut albedo est nomen substantivum, licet significet aliquid adhærens alteri, parieti v. g. sufficit enim ad hoc ut sit nomen substantivum, quod pro ut hoc nomine significatur, non importetur per modum adhærentis. Terminus adjectivus est, qui rem significat per modum alteri adjacentis, ut albus, idque sive in re adhæreat alteri, sive non, si prout hoc verbo significatur, importetur per modum adhærentis, vel adjacentis, sic humanus licet significet substantiam, humanam scilicet naturam, & deificatus divinam, sunt tamen termini adjectivi, quia significant illas per modum adjacentis & quasi adhærentis.

II.  
Termini  
omnes sub-  
stantivi  
sunt abso-  
luti, ad-  
jectivi sunt  
connotativi.

Hinc inferes primo, eandem esse hanc divisionem cum ea qua terminum divisimus in absolutum & connotativum, & omnia nomina adjectiva esse terminos adjectivos, seu connotativos hoc sensu, & importare materiale & formale per modum alteri adjacentis, unde suppositum verbo reddere non possunt, seu esse subiecta in propositione, nisi addantur termino alicui absoluto. Inferas secundo, non improbabilius à nonnullis asseri terminum connotativum seu adjectivum non significare æqualiter materiale & formale, sed significare solum formale, & connotare materiale, cui forma adhæreat.

III.  
Quid di-  
cendum de  
terminis  
privativis.

Quia  
terminus  
est nihil.

Dices nomina privativa adjectivè sumpta, ut intelligibile, obtenebratus &c. sunt termini adjectivi, & tamen non significant formam alteri adjacentem, imò potius significant non adiacere formam, lucem scilicet & intelligibilitatem, ergo mala definitio termini adjectivi. Conf. nam hic terminus nihil est terminus substantivus, & tamen non significat aliquid per modum per se stantis, nam nihil omnino significat, ergo. Ad argumentum, & confirmationem simul Resp. distinguendo antecedens, non significant aliquid positivum per modum per se stantis, aut alteri adjacentis, concedo antecedens, non significant aliquid negativum, nego; nam sicut cum tollitur forma è subiecto physice, ponitur privatio physice, ita cum tollitur intentionaliter, seu per intellectum, intentionaliter seu per intellectum ponitur ibi illius privatio: nihil verò idem sonat ac negatio omnis entis. Adde frequenter nos formam aliquam tenebrarum, vel intelligibilitatis positivam rebus mente appingere, & facere ens rationis, de quo in logica.

IV.  
Intelligi-  
bile non  
videtur  
esse terminum,  
cum nihil  
significet.

Vox inin-  
telligibile  
quomodo in-  
telligatur.

Urgebis, hic terminus intelligibile videtur nihil significare, ac proinde nec est terminus, antecedens probatur, nam si significat, respectu alicujus significat, ergo ille sensum ejus intelligere potest, ergo non est intelligibile. Distinguo ultimum consequens ergo non est intelligibile in actu exercito, id est, quod in se habet exercitiam intelligibilitatem, concedo consequentiam, quod enim ita se habet, intelligi non potest; non est intelligibile in actu signato, seu quod eodem recidit, quod significat intelligibilitatem, nego consequentiam: licet enim rem intelligere non possimus quæ est intelligibilis, possumus tamen intelligere esse intelligibilem, alioqui de ea dicere non possemus quod sit intelligibilis, unde essentiam intelligibilitatis intelligere possumus, scimus enim esse id quod intelligi non

potest: sicut in hac propositione blitiri non significat lapidem, ly non significat in actu exercito significat, licet in actu signato non significet, id est, significat non significationem, quæ potest esse res significata.

Nonò dividitur terminus in terminos transcendentis, supertranscendentis, & non transcendentis. Hi sunt, qui de omnibus veris dicuntur, suntque hi sex. Res, ens, Verum, Bonum, Aliquid, Unum: ex quorum primis litteris Dialectici memoriae g. vocem Reubau composuerunt: Res significat ratam & fixam uniuscujusque rei essentiam. Ens aptitudinem ut existat, verum entitatem rei ut est apta verè cognosci, estque idem quod intelligibilitas, Bonum perfectionem entitativam, Aliquid distinctionem ab alijs, sonat enim quasi aliud quid, unum unitatem per quam in se est indivisa. Termini supertranscendentes sunt qui non de rebus veris tantum, sed etiam de fictis affirmantur, ut intelligibile, imaginabile, unde ut dici solet, latius patet ens imaginabile quam ens possibile. Non transcendentis sunt qui limitatam habent significationem & essentiam, & non permeant res omnes, sed aliquas tantum, ut homo, equus, leo, &c.

Decimò, in terminum Finitum, & Infinitum. Finitus est, qui aliquid determinatè significat, ut lignum, lapis. Infinitus, qui licet aliquid determinatè neget, nihil tamen determinatè affirmat, ut, non ignis, non lapis, qui termini possunt de re qualibet, excepto ligno & lapide affirmari. Unde cum dico, Petrus est non lapis, sensus non est, Petrus non est lapis, sed est aliquid quod non est lapis; non tamen determino illud aliquid quid sit, sed ex vi horum verborum potest esse quilibet quod non sit lapis. Ad terminum autem Infinitum debet particula non cadere supra terminum finitum, non supra copulam, sic enim faceret sensum purè negativum, ut si quis dicat, albedo non est nigredo, nil aliud significat quam eam non esse nigredinem, nihil autem affirmat, sicut affirmaret si diceret albedo est non nigredo. Quod autem termini negativi in se includant negationem termini Finiti, qui apponuntur, patet, nam possunt affirmari de negationibus, quod tamen fieri non posset, nisi ly non terminum illic finitum negaret, seu tolleretur, nihil autem positivum de negatione affirmari potest, dicimus tamen rectè, tenebra sunt non lapis, cecitas est non leo, & sic de cæteris.

Undecimò tandem in terminum Prima intentionis, qui significat rem secundum id quod habet in se ante operationem intellectus, ut leo, equus, lapis, & secunda intentionis, qui significat rem secundum id quod accipit ab intellectu, ut predicatum, subiectum, & similia.

## SECTIO VII.

*Comparantur termini inter se.*

**T**ermini alij Pertinentes, alij Impertinentes. Hi sunt, quorum unus nec infert aliud, nec cum eo repugnat, ut medicus, citharadus, dicunturque Impertinentes, quod invicem comparari non faciant ad consequentiam ut loquuntur dialectici, licet respectu aliorum dici possint, Pertinentes. Pertinentes sunt, quorum unus infert alium, ut est leo, ergo est vivens, qui vocatur pertinentes sequela: vel repugnat cum eo secundum eandem rationem, ut, est calidum, ergo non frigidum: vocanturque hi pertinentes repugnantia. Pertinentium sequela alij sunt convertibiles, ut homo, risibile, alij synonymi, ut gladius, ensis.

Pertinentium repugnantia, duo sunt genera, alij enim sunt disparati, qui solum repugnant ob diversitatem naturalem, licet nullam habeant oppositionem, ut Petrus & Paulus, leo & equus. Alij sunt oppositi,

V.

Sex termini  
transcen-

Termini  
supertran-  
scendentes.  
Termini  
non tran-  
scendentes.

VI.

Terminus  
finitus, &  
infinitus.

Quid re-  
quiratur  
ad termi-  
num infi-  
nitum.

VII.

Termini  
prima, &  
secunda in-  
tentionis.

I.

Termini  
pertinentes  
& imper-  
tinentes.

Pertinentes  
sequela, &  
pertinentes  
repugnantia.

II.

Termini  
disparati  
& oppositi.



Termini  
contradictori.

sit, quorum quatuor sunt species; *contradictorii*, quorum unus exprimit negationem alterius, ut *videns*, *non videns*, ac proinde eorum alter rebus omnibus necessarium convenit, quia de eo sã medium non habere dicuntur. Ab his in eo solum differunt *privativi*, quod præter negationem denotent aptitudinem subiecti, ut habeat formam cuius negatio significatur, ut *videns cæcus*, lapis enim licet non videat, non est cæcus. Tertio *Contrarii* termini sunt qui sub eodem genere maxime distant, & se ab eodem subiecto invicem expellunt, ut albedo & nigredo. Quarto, *Relativi* qui significant extrema se mutuo resistentia, ac proinde necessarium debet esse distincta, & opposita oppositione relativa: quo argumento probant Theologi distinctionem Divinarum Personarum in Trinitate.

Privativi.

Contrarii.

Relativi.

III.

Modi argu-  
mentandi in  
pertinentibus  
sequela.

Triplex in his terminis reperitur argumentandi modus. Primus ab affirmatione inferioris ad affirmationem superioris, non est contra, ut *est homo, ergo animal*, non tamen, *est animal, ergo homo*; & a negatione superioris ad negationem inferioris, non est

contra, ut, *non est animal, ergo non est homo*. Secundus est in terminis synonymis & convertibilibus, in quibus semper valet ab affirmatione aut negatione unius ad affirmationem & negationem alterius, ut discurrenti constabit. Tertius in pertinentibus repugnantia ab affirmatione unius ad negationem alterius, ut, *est equus, ergo non leo*: non tamen a negatione unius ad affirmationem alterius, ut, *non est equus, ergo leo*, non est album, ergo nigrum, nam datur medium, nempe rubrum, aut viride; utroque autem modo inter contradictoria bene arguitur, cum medio careant, ut, *non est non videns, ergo videns*, & est contra, *duæ enim negationes faciunt unam affirmationem*, ut enim prima negatio negat totum quod post se invenit, ita & secunda, ac proinde negationem etiam illam negat quæ antea erat in propositione, quæ negat, virtualiter contrarium affirmamus. Imò & in privativis idem contingit, si sunt circa subiectum aptum, ut, *Petrus non est cæcus, ergo videns, non est videns, ergo cæcus*.

Modus argu-  
mentandi in  
pertinentibus  
repugnantia.Duæ nega-  
tiones cur  
faciant unam  
affirmatio-  
nem.

## DISPUTATIO III.

## De proprietatibus Terminorum.

## SECTIO PRIMA.

## De Suppositione.

I.  
sex terminorum  
proprietates.

SEX communiter nominantur terminorum proprietates: *Suppositio*, *Ampliatio*, *Restrictio*, *Alienatio*, *Diminutio*, & *Appellatio*: significatio enim quæ a nonnullis inter proprietates numeratur, est potius termini essentia, ad quam tamquam proprietas lequitur suppositio formalis.

II.  
suppositio est  
loco alicuius  
positio.

*Suppositio* ergo est loco alicuius positio, vel substitutio, quæ duplex est, materialis cum aliquid ponitur pro se, seu pro materia ex qua componitur, ut cum dico, *homo est vox*, vel formalis, cum ponitur pro suo significato, significatio enim est forma, ut, *homo est animal*, cum autem vox aliqua se repræsentat, ut *omnis terminus vocalis est vox*, est suppositio formalis. Unde non male suppositionem in communi definit Toletus l. 2. c. 1. hoc modo: *Suppositio est usus, vel acceptio termini pro se, vel pro suo significato*: Cum enim, ut ait Aristot. 1. Elench. res aducere non possimus, voces pro aliis substitutimus, unde etiam extra propositionem sicut dicuntur significare, ita & supponere, nempe aptitudinaliter, suppositio enim formalis est aptitudo quædam proxima, à significatione dimanans ut in propositione loco alterius ponatur: Sicut aliud est imaginem significare aliquem, aliud illius loco substitui vel supponi, non enim semper quando significat supponit, sed solum supponit cum substituit loco alterius, ut cum imagini Regis honor tribuitur qui rei (Regi v.g.) per eam significatur tribuitur. Melius ergo dicuntur voces supponi quam supponere, quia aliorum loco substituantur. Nec ipsi convenit suppositio tantum, quod aliqui dicunt, in propositione verã, sed etiam falsã, nam in hac etiam supponunt pro rebus à se significatis.

Differunt  
significare &  
supponere.Melius di-  
cuntur voces  
supponi, quã  
supponere.

III.

Suppositio in-  
trinseca, &  
extrinseca:  
propria &  
metaphorica

*Suppositio materialis*, alia intrinseca, cum vox supponitur pro eo quod ex se habet, ut cum dico, *leo est vox*, alia extrinseca, cum pro eo supponitur quod habet ab extrinseco, bene placito v.g. hominum, ut *leo* significat leonem. *Suppositio Formalis* alia propria, ut *Nero fuit Imperatorum crudelissimus*; alia impropria seu metaphorica, ut, *hic est alter Nero*.

IV.

Suppositio  
simplex.

Suppositio formalis alia *simplex*, alia *personalis*. *Simplex* est, cum terminus accipitur pro suo imme-

diato significato tantum, diciturque supponere immobiliter, ut *homo est species*, ubi non sumitur homo pro mediato significato, scilicet individuo, nõ enim recte dixeris, *Petrus est species*, in quo proinde non datur ascensus & descensus, qualis etiam est suppositio in hac propositione, *Petrus est individuum*. *Personalis* est, cum terminus supponit pro significato mediato vel immediato, sed non immobiliter, ut *Petrus currit*, licet enim ascendere, *ergo homo currit*, *animal currit*, &c. Item, *omnis homo est animal*, *homo* capitur pro Petro, Paulo &c. In qua suppositione, hæc assignatur à Dialecticis regula pro termino communi, ut quoties alicui voci possit aliquid signum syncategorematicum præponi, manente eodem sensu, censetur supponere personaliter, ut *homo currit*, alicuius *homo currit*, *homo est animal*, *omnis homo est animal*, hæc enim signa denotant hos terminos convenire inferioribus, at quando supponit simpliciter terminus, non potest affici huiusmodi signo, nec enim licet dicere *omne animal est genus*, vel *aliquod animal est genus*. Id hic notandum, non licere inter arguendum mutare suppositionem, vitiose enim argumentaretur qui diceret, *homo est vox dissyllaba, sed omnis homo est risibilis, ergo risibilis est vox dissyllaba*, mutatur enim suppositio.

Suppositio  
personalis.In argu-  
mentacione  
non mutanda  
suppositio.

*Suppositio personalis*, alia *essentialis* vel *naturalis*, alia *accidental*. Prior est, cum terminus supponit pro eo quod res est essentialiter vel naturaliter, convenitque omni per terminum significato, sive existat sive non, ut in his, *homo est animal*, *homo est risibilis*, ubi primum prædicatum est de essentia hominis, secundum de naturali necessitate, seu passio necessaria. Quare in iis propositionibus dicitur verbum seu copula absolvi à tempore, denotanturque prædicatum & subiectum uniri, non secundum unionem existentie, sed solum essentie, seu secundum connexionem prædicatorum essentialium, dicunturque propositiones *æterna veritatis*. *Suppositio accidental* est, cum terminus accipitur pro eo quod est significato accidentale, ut *Petrus currit*, ubi etiam verbum denotat convenientiam prædicati cum subiectum secundum differentiam temporis, ut, *aquila volat*, intelligitur pro præsentis.

V.  
suppositio  
essentialis.Suppositio acci-  
dentalis.

*Suppositio universalis* seu *distributiva* est acceptio termini communis pro suis significatis copulativè seu

VI.  
suppositio dis-  
tributiva.



Suppositio  
copulata.

seu distributive sumptis, id est, enumeratis per conjunctionem copulativam copulative sumptam, seu integras propositiones conjungentem, ut, *omnis leo est rugibilis*, sic enim verificatur *hic leo est rugibilis*, & ille leo est rugibilis, &c. Suppositio copulata, seu collectiva est, cum terminus accipitur pro suis inferioribus copulativam sumptis; hoc est, ubi conjunctio copulativa non necesse est integras propositiones, sed terminos simplices, nec repeti potest predicatum cum singulis, quia singulis non convenit, ut conveniebat in suppositione distributiva; e.g. *omnes orbis partes sunt quatuor*, sic enim explicari debet *Europa, Asia, Africa, & America sunt quatuor*, non *Europa est quatuor, Africa est quatuor, &c.*

VII.  
Suppositio  
disjunctiva.

Suppositio determinata, quæ & disjunctiva dicitur, est usus termini communis vel nullo vel particulari signo affecti, pro suis inferioribus disjunctivè enumerandis, seu per conjunctionem disjunctivam disjunctivè sumptam, seu connectentem integras propositiones, ita ut ex iis aliquod designet, sed sub disjunctioe, ut *leo rugit*, vel *aliquis leo rugit*, sic enim verificatur, vel *hic leo rugit*, vel *ille leo rugit*, &c. Suppositio confusa est, cum conjunctio disjunctiva sumitur disjunctivè, & connectit terminos simplices, ut *omnis homo est animal*, quod sic explicatur, *omnis homo est hoc vel illud animal*, non, *omnis homo est hoc animal*, vel, *omnis homo est illud animal*, &c.

VIII.  
Termini  
specialis  
confusionis.

Hic verò notandum, dari aliquos terminos ut vocant, *specialis confusionis*, quales sunt, *requiritur, necessarius*, &c. qui faciunt terminum, cui apponuntur, supponere pro aliquo individuo singulari omnino indeterminatè etiam sub disjunctioe. Ut cum dicimus, *equus requiritur ad equitandum*, de nullo affirmari potest etiam sub disjunctioe quod requiratur, imò licet duo tantum forent, & de altero determinatè affirmaretur quod non requiratur, non sequitur alterum requiri, nam licet prior non requiratur, est tamen sufficiens. At in suppositione determinatè à si duo homines solum essent, & diceretur, *homo currit*, negareturque de uno, necessariò affirmari deberet de altero, quod hic non contingit, nam etiam ex suppositione quod alter oculus non requireretur ad videndum, non sequitur requiri alium, cum prior sufficiat. Ratio est, tum quia in illo exemplo, *homo currit*, cum importetur actio exercita, hæc exerceri non potest nisi ab aliquo determinatè, unde si negetur de ceteris omnibus, necessariò debet determinatè affirmari de ultimo: at in altero casu, solum significatur necessitas generationis oculorum ad videndum, quæ necessitas in nullo determinatè reperitur, cum quolibet deficiente, aliter sufficiat, unde vagè de iis dici debet, vel *hic oculus*, vel *hic requiritur ad videndum*.

XI.  
Suppositio  
completa, seu  
pro singulis  
generum.

Suppositio distributiva, alia completa, alia incompleta. Completa est, cum terminus communis signo distributivo affectus capitur pro omnibus suis inferioribus, diciturque; pro singulis generum, hoc est pro unoquoque singulorum illorum generum seu specierum, ut, *omnis homo est animal*. Quando verò aliquod individuum excipitur, & illa exceptio intelligi potest ex dictis, appellatur suppositio accommodata, ut, quod *regit omnia calum*, nempe, præter se. Incompleta est, cum capitur terminus signo distributivo affectus pro generibus singulorum; id est, pro aliquo individuo uniuscujusque generis, ut, *omne animal fuit in arca Noë*, hoc est, cujusque generis aliquod.

X.  
Regula pro  
suppositione  
cognoscendâ.

Pro regulis ad suppositionem cognoscendam, nota, si signum quo affectus terminus, sit universale affirmativum, terminum immediatum distribuit, seu facit supponere distributivè, mediatum confundit, seu facit supponere confusè, ut, *omnis homo est animal*. Quod si terminus adjectivus substan-

tivo, sine aliquo affecto conjungatur, faciatque, cum eo unum prædicatum, aut subjectum, eodem modo supponit ac terminus substantivus, ut, si quis dicat, *omnis homo sapiens, est canis*, secus si non sit pars, sed aliter extremum, ut, *omnis homo est sapiens*, ubi sapiens ponitur confusè. Quod si signa fuerint negativa universaliter, faciunt omnes terminos quos post se inveniunt, tam immediatos quam mediatos, supponere distributivè, ut in hac propositione, *nul- lus homo est animal*, tam homo, quam animal supponit distributivè, hæc enim est natura negationum, ut omnia distribuant; particula verò non, si terminum aliquem inveniatur distributum, facit cum supponere determinatè, ut, *non omnis homo est medicus*, hoc est, *aliquis homo non est medicus*. Quod si signum particulare fuerit & affirmativum, terminum immediatum facit supponere determinatè, mediatum verò non omnino attingit, ut in hac propositione, *aliquis homo est justus*. Tandem notandum, non licere procedere à termino non distributo ad distributum, seu terminum qui in antecedente non sumitur universaliter, ponere in consequente universaliter, ut, *omne animal est vivens*, ergo *omne vivens est animal*: nulla consequentia. Sed de his satis.

Regula pro  
signis nega-  
tivis.Malè argui-  
tur à termi-  
no non distri-  
butum.

## SECTIO II.

## De resolutione suppositionis per ascensum &amp; descensum.

Ascensus, ex communi modo loquendi (qui per metaphoram ad terminos applicatur) est ab inferioribus ad superiora, descensus a superioribus ad inferiora gradatim. Ascensus ergo, qui & inductio est a singularibus sufficienter enumeratis ad universale progressus: sufficienter, inquam, enumeratis, hoc est, omnibus, si pauca sint, sin multa, aliqua enumeranda sunt, & addendum, & sic de reliquis, ergo. Ubi vel uno ex singularibus deficiente, ascensus erit falsus. Descensus est contra est ab universalibus ad particularia progressio: ubi ad veritatem universalis requiritur veritas omnium singularium, ad falsitatem sufficit vel unum non ita se habere, sicut affirmat universalis propositio. Quæ ostendi possunt in his exemplis, *omnis homo est animal*, vel, dum Iudas esset Apostolus, si quis diceret, *omnes Apostoli sunt prædestinati*. In ascensu, particularia sunt antecedens, in descensu vice versa.

Ascensus est  
idem quod  
inductio.Descensus  
fit ab uni-  
versalibus  
ad particu-  
laria.

Infinita hæc regula ad ascensum & descensum dignoscendum assignari solent, quæ tyronum animos illaqueant potius quam dirigunt, quasque uno pœnè verbo perstrinxeris, si dixeris, quot suppositionum termini communis, tot descensuum ab universalibus ad particularia, & ascensuum à particularibus ad universalia species esse. Si enim terminus communis supponat distributivè, ut, *omne calum est rotundum*, sit descensus distributivus hoc modo, ergo *calum empyreum est rotundum*, & sic de ceteris, & idem est de ascensu, si propositiones invertas, ut discurrant constabit. Si terminus supponit copulatè, sit descensus copulatus, ut, *omnia elementa sunt quatuor*, ergo *aër, & ignis, & terra, & aqua sunt quatuor*. Quod idem contingit in ascensu, si propositiones tantum invertendo. Idem dixeris de suppositione determinatè & confusâ. Id solum de suppositione determinatè est singulare, ad illius veritatem sufficere veritatem unius propositionis singularis, ac proinde ad falsitatem probandam, tum per descensum, tum ascensum, requiri falsitatem omnium particularium, ut in hoc exemplo, *aliquis equus currit*, est manifestum.

Regula pro  
ascensu &  
descensu.

## SECTIO



SECTIO III.

De Ampliatione, Restrictione, Statu, Alienatione, & Diminutione Terminorum.

**I.** **A**mpliatio est extensio termini à minori ad maiorem suppositionem secundum plures differentias temporum, quàm verbum importat, ut homo est animal, ubi licet copula sit solum præsentis temporis, vera tamen est propositio pro omnibus quinque temporibus à Summulistis enumeratis, quæ sunt Præsens, Præteritum, Futurum, Possibile, & Imaginarium, licet quintum à quarto non differat, dicunturque huiusmodi propositiones æternæ veritatis, cum fundentur in naturâ seu essentiâ, quæ semper est eadem. Unde cum terminus sumitur pro suis significatis existentibus pro solâ differentia temporis, per copulam importatâ, sive illud præsens sit, sive præteritum, aut futurum, tunc nec ampliari dicitur terminus, nec restringi, sed habere statum, ut, homo currit, ubi homo supponit pro homine nunc existente; sic Petrus dormivit, aquila volabit. Hæc autem suppositio dicitur minor respectu ampliacionis, per quam extenditur terminus ad maiorem suppositionem, ita ut accipiat pro existentibus non solum in hac, sed etiam in aliâ differentia temporis, ut, homo potest disputare, iusti in perpetuum vivent. Respectu verò restrictionis dicitur maior, nam per hanc non supponit terminus pro omnibus existentibus pro differentia temporis per copulam importatâ, ut, si quis dicat, homo albus currit, non supponit homo pro omni homine tunc existente, sed tantum pro homine albo. Unde restrictio quæ hac in parte ampliacioni opponitur, definitur esse coarctatio termini à maiore ad minorem suppositionem, quam pro tempore per copulam importato.

**H.** Ampliatio triplex est, prima secundum tempus tantum, pro terminis singularibus, vel communi simpliciter supponente, ut Petrus est posterior Paulo, nempe Paulo qui est vel fuit, est prior Iohanne, qui est scilicet vel erit. Secunda quoad significatum, pro ijs terminis, qui diversa significata habere possunt, ut, peccatores punientur, ubi extenditur ille terminus ad varios qui fuerunt, sunt, & erunt. Tertia cum termini concreti habentes materiale & formale ampliatur ad diversas formas pro diversis temporis differentijs, ut iustus fuit peccator, ampliatio fit secundum tempus & formam iustitiæ, & sensus est, hic homo qui est, vel fuit iustus, fuit peccator.

**III.** Quatuor modis fit restrictio, primò per appositionem adiectivi in eodem extremo, ut, omnis paries albus disgregat visum. Secundò per relativum, ut, omnis homo qui decessit in gratia, salvabitur. Tertiò, per appositionem obliqui in eodem extremo, ut, omnis actio Christi fuit infiniti valoris; non tamen restringitur terminis si adiectivum vel casus obliquus sit loco prædicati, ut, omnis paries est albus, omnes libri sunt Petri, ubi subiectum seu rectum non restringitur per adiectivum & obliquum, sicut fiebat in præcedentibus exemplis. Quartò, per appositionem inferioris,

ris, Apostolus Petrus fuit Princeps Apostolorum: Rex Alexander devicit orbem.

Alienatio est cum terminus aliquis per appositionem alterius traducitur à propria suppositione ad impropriam, ut, homo marmoreus est in foro, in quibus non valet consequentia ab uno ad aliud, ut, est leo lapideus, ergo leo, nec è contra, quia leo solitarie sumptus sumitur pro famosiori, seu vero. Diminutio est, cum non simpliciter aliquid significatur, sed secundum quid, ut, aethiops albus secundum dentes. Cum verò subiectum non supponit pro differentia temporis per verbum importatâ, dicitur non incongruè distractio, ut, homo est mortuus, cæci vident, licet à quibusdam ad ampliacionem, à nonnullis ad alienationem revocetur. In his facile capiuntur tyrones ni caveant, ut si quis dicat, Petrus heri erat iustus, sed Petrus heri peccavit, ergo Petrus heri iustus peccavit, sic enim distinguendum consequens, ergo Petrus heri iustus peccavit quo tempore erat iustus, nego consequentiam, alio tempore, concedo, est enim argumentatio à sensu diviso ad compositum.

Pro modis argumentandi ex prædictis id præcipue advertendum, ut supponatur constantia subiecti, alioqui nulla est consequentia. Constantia autem est particula aliqua denotans existere id de quo est sermo, ut si quis dicat, omne animal currit, ergo leo currit, non valet consequentia nisi supponatur leonem esse, sicque deberet addi & leo est, tunc enim bene sequitur, ergo leo currit, alioqui dicitur de subiecto non supponente. Sic in restrictione non valet, omnis homo loquitur, ergo homo albus loquitur, nisi ponatur esse hominem aliquem album.

SECTIO IV.

De appellatione terminorum.

**A**ppellatio est applicatio formalis significati unius termini significato alterius, sive materiali, sive formali, ut, magnus Philosophus, ubi si magnus, quod est formale significatum huius termini, applicetur, vel appellet supra formale significatum termini Philosophus, scilicet supra philosophiam, dicitur appellatio seu prædicatio formalis, si supra materiale, nempe hominem, dicitur materialis, & significat hominem esse magnum corpore, nil omnino curando de philosophia, sicut & in his propositionibus, medicus est citharædus, album est dulce, & similibus. Dicitio applicans significatum dicitur appellans seu denominans, potestque esse vel terminus substantivus, ut, dominus, vel adiectivus aut adverbium, & alij termini syncategorematici, ut, valde est doctus, tres medici &c.

Hic notandum, sicut mutatâ suppositione non valet argumentum, ita nec variatâ appellatione, unde hæc & similes sunt fallaces modi argumentandi, faber lignarius fecit cathedram, sed cathedra est lignum, ergo fecit lignum, vocaturque fallacia accidentis, nam ly fecit in maiori appellat supra formale, in consequenti supra materiale, sicque mutatur appellatio.

DISPUTATIO IV.

De Modis sciendi.

**M**odus sciendi est oratio ignoti manifestativa, intellige ex naturâ suâ, licet enim per accidens posset quis ex consuetudine clariùs hominem concipere auditâ voce hac homo, quàm his animal rationale, hæc tamen posterior oratio ex

natura sua est manifestativa magis illius significati, quod antea uno verbo quasi involutum concludebatur, hic verò natura hominis per suas partes explicatur, & quasi expanditur, omniumque oculis distinctè proponitur; Unde interpretatio alicuius

linguæ



linguæ ignotæ per aliam notam non est modus sciendi, quia non explicatius rem secundum suas partes evolvit & declarat homo quam *ζῷον*, quod verò quis per unum verbum intelligat hominem, non per aliud, est merè per accidens, quod scilicet unam linguam calleat, non aliam. Modi autem sciendi communiter tres numerantur, *Definitio*, *Divisio*, & *Argumentatio*; de duabus prioribus hic erit sermo, argumentationem in Disputationem ultimam deferemus.

Modi sciendi tres sunt, Definitio, Divisio, & Argumentatio.

## S E C T I O

## De Definitione.

**I.** *Definitio* duplex est, formalis, & objectiva; hæc est ipsa entitas rei quæ definitione explicatur, & ad Metaphysicam spectat, illa est instrumentum quo rem explicamus, de qua in præsentia.

**II.** *Definitio* ergo primo Top. c. 4. sic definitur ab Aristotele, *Definitio est oratio explicans quod quid est rei*, seu essentiam rei, quam Philosophi quidditatem vocant, quia per eam satisfacimus quæstioni *quid est res*. *Oratio* ponitur loco generis, quod illi cum cæteris modis sciendi est commune, reliquæ particule loco differentię, hoc enim peculiare est definitioni ut explicet partes essentię per modum unius, & ut constitueat unam naturam, quod cum unâ dictione fieri nequeat, duæ saltem ad Definitionem requiruntur. Hic verò loquimur solum de *Definitione* apprehensiva, ut ostendam d. 43. log. f. prima. Oratio autem ibi sumitur prout abstrahit à vocali & mentali, nam qui volunt solas voces, non conceptus orationem esse, valde improprie loquuntur, cum enim sit sermo internus & verbum mentis, quidni & oratio?

**III.** *Definitio* dividitur primo, *Definitio* in *essentialem* & *accidentialem*. *Essentialis* est quæ explicat rem per suas partes essentielles, seu per quas in sua natura & essentia constituitur, quæ si physice fuerint, seu à parte rei distinctæ & constituentes, vocatur *Definitio essentialis physica*, ut, *homo est compositum ex corpore & animâ rationali*. Si partes fuerint metaphysicæ, & non à parte rei, sed solumper conceptus nostros distinctæ, quales sunt genus & differentia, vocatur *Definitio essentialis metaphysica*, ut, *homo est animal rationale*. *Accidentialis*, quæ & *descriptiva* *Definitio* dicitur, est, quæ rei naturam per accidentia quædam & proprietates explicat saltem mediatè, ob connexionem quam ad essentiam habent, ut cum dicimus, *homo est animal risibile*.

**IV.** *Definitio* item secundum S. Thomam dividitur in *Definitionem nominis*, seu quoad quid nominis, quâ nimirum explicamus quid nomina significant, & in *Definitionem rei*, seu quoad quid rei, quam jam explicavimus: licet enim non sciam conceptum quidditativum seu essentiam leonis aut elephantis, possum tamen scire perfecte quid homines per illa nomina significant: sicut licet sciam quid significet *molossus*, nescio tamen utrum differat specie ab alijs canibus minoribus.

**V.** Variæ pro *Definitionibus* assignantur regulæ. Prima est, ut *Definitio* constet genere, seu aliquo quod stet loco generis, per quod definitum conveniat cum alijs; & Differentiâ, per quam à cæteris omnibus secernatur. Secunda, ut nec sit diminuta, ut, *homo est vivens sensibile*, ubi deest differentia: nec superflua, ut, *homo est animal rationale, sensibile*. Tertia, ut convertatur cum definito, & ab uno ad aliud valeat consequentia, ut, *est homo, ergo animal rationale, est animal rationale, ergo homo*. Cuius ratio est, quia obiectum est idem utrobique, magis tantum vel

*Definitio* nominis, & rei.

*Regula bona Definitionis.*

*Definitio* corvæ si debet cum definito.

minus explicatum. Quarta, ut non conveniat alijs à definito, & ut non omne definitum comprehendat. Quinta, ut sit clarior definito, est enim ejus manifestatio, quod semper facit, rem per partes veluti evolvendo. Potest tamen in Definitione poni æquè ignotum ac terminus ordinis quem definitum dicit ad ipsum, ut, *Pater est qui habet filium*, ubi licet filius sit æquè obscurus atque pater, ordo tamen ad filium est quid notius, ut dici solet in logica. Sexta, Addi solet, ut detur per genus immediatum, seu proximum rei quæ definitur, non per quodcumque remotum; malè enim hominem definiret qui diceret, *homo est corpus rationale*.

Debet esse clarior definito.

Prima regula pro argumentatione à definitione est, de quocumque affirmatur vel negatur *Definitio*, affirmatur vel negatur definitum, & è contra, ut, *Petrus est homo, ergo animal rationale*. Secunda, quicquid affirmatur vel negatur de *Definitione* objectivâ, seu de re definitâ, affirmari vel negari debet de definito, & è contra, ut si de animali rationali affirmamus quod sit vivens, & negamus quod sit insensibile, idem etiam affirmare & negare debemus de homine, cujus ratio est, quia *Definitio* objectivâ & definitum idem sunt.

VI. Regula argumentandi à Definitione.

Contra, inquis, de *Definitione* affirmatur quod sit *oratio explicans naturam rei*, quod tamen de definito affirmare fas non est. Resp. primò, id non affirmari de *Definitione* objectivâ, sed formali. Resp. secundò, sermonem esse de prædicatis realibus, & à parte rei illi convenientibus, non de ijs quæ accipit ab intellectu.

VII. Occurrit Objectioni.

Quæres, utrum *Definitio* mentalis consistat in apprehensione, an iudicio. Existimo posse in utroque consistere; in apprehensione, quia per illam potest quis concipere prædicatum commune & differentiale, ac mente unire genus & differentiam, animal v. g. & rationale, ergo. Dices, non affirmatur quidquam, nec negatur per definitionem illam, ergo non manifestatur res, ergo non est modus sciendi. Distinguo consequens, non est modus sciendi perfectus, concedo consequentiam, imperfectus, nego, nam illa repræsentatio rei per partes explicitè conceptas est clarior repræsentatione rei non per partes, sed quasi confusè. Est tamen etiam *Definitio* in iudicio, quia affirmamus v. g. hominem esse animal rationale. Sed de hac re plura in log. d. 43. f. i. ubi eam plenius decidemus.

VIII. Definitio reperitur & in apprehensione, & in iudicio.

## S E C T I O II.

## De Divisione.

**D**ivisio est oratio totum in suas partes distribuens, ubi totum, *divisum*, partes membra *dividentia* dici solent.

I. Quid sit Divisio.

*Divisio* alia *Potentialis*, alia *Actualis*; *Potentialis* vocatur quia res aliqua dividitur in partes quas actu non habet, sed tantum potentia, id est, potest habere, ut genus, animal v. g. non dicit actu in conceptu suo species, non enim ex illis componitur, sed solum est in potentia in ordine ad illas, vocaturque respectu illarum *totum potestativum*, quia potest de illis prædicari, licet actu concipiatur nullâ illarum conceptâ: & si *divisum*, seu ratio communis sit genus, dicitur *Divisio* generis in species, ut, *animal aliud homo, aliud equus*, &c. Si *divisum* sit ratio communis analogata, dicitur *Divisio* analogi in analogata, ut in communi exemplo, *ens aliud substantia, aliud accidentis*.

Divisio potentialis.

*Divisio actualis* illa est, qua totam dividitur in partes, ex quibus actu constat, quæ si fuerint physice, *Actualis*, & realiter distinctæ, dicitur *Divisio actualis physica*, *Divisio est* sive *sententia*.

III. Divisio Actualis.



Divisio in-  
tegralis.

sive partes essentielles fuerint, ut *hominis alia pars cor-  
pus, alia anima*, quæ dicitur *divisio essentialis*; sive in-  
tegrales, ut, *hominis alia pars caput, alia manus, &c.* quæ  
appellatur *divisio integralis*, desumit enim Divisio no-  
men à partibus in quas divisim distribuitur, ac pro-  
inde quot compositionis, tot etiam Divisionis sunt  
genera. Si autem partes fuerint metaphysicæ, & non  
realiter distinctæ, ut *animal & rationale*, vocatur Di-  
visio actualis metaphysica.

IV.  
Divisio sub-  
iecti in ac-  
cidentia.

Divisio ac-  
cidentis in  
subiectum.  
Divisio ac-  
cidentis in  
alia acci-  
dentia.

*Diversio accidentis* illa est quæ datur per acciden-  
tia, & communiter triplex censetur, prima subiecti  
in accidentia, ut, *hominum alius albus, alius niger*, ad  
quam Divisionem revocari potest nomen, seu vox,  
quæ ex placito hominum est subiectum vel quasi  
subiectum variarum significationum quæ illi acci-  
dunt. Secunda est accidentis in subiectum, ut, *albedo  
alia lactis, alia nivis*. Tertiò est Divisio accidentis in  
alia accidentia sibi adjuncta, ut, *album aliud amarum,  
aliud dulce*, quod non fit nisi in concreto. Porro Di-  
visio hæc accidentalis potentiali similior est quàm  
actuali, quia potius est ratio superior continens sub  
se membra dividenda ut inferiora de quibus præ-  
dicari possit, non ut partes actu illam componentes.

V.  
Regula bo-  
na Divi-  
sionis.

Leges Divisionis sunt: prima, ut sint ad mini-  
mum duæ partes, saltem formaliter distinctæ, aliter  
enim non est Divisio. Non tamen nimis sunt multi-  
plicandæ, ne confusionem pariant, sed si plures sint,  
enumerandæ precipuè & maximè generales. Se-  
cunda, ut membra dividenda non se invicem inclu-  
dant, defectu cuius hæc est mala Divisio, *animal a-  
liud brutum, aliud leo*. Tertia, ut neutrum membrum  
adæquet divisum, quæ de causâ hæc est mala, *animal  
aliud rationale, aliud sensibile*, quia sensibile æquè latè  
patet ac animal. Quarta, ut omnia membra divi-  
denda simul adæquent divisum, ac proinde hæc est  
mala Divisio, *animal aliud homo, aliud leo*, latius enim  
patet animal quàm hæc duo.

Varij pro *Divisione* assignantur argumentandi  
modi, qui Divisioni potentiali potius conveniunt,  
quàm actuali. Primus pro *potentiali* est à positione  
*divisi* ad positionem unius ex membris dividendis  
sub disunctione, ut, *est animal, ergo vel rationale vel  
irrationale*, & è contra à positione unius membri ad  
positionem totius, *est homo, ergo animal*. Non sic in  
integrali & actuali Divisione, non enim valet, *est ho-  
mo, ergo vel caput, vel pes, vel aliud corporis membrum, est  
caput hominis, ergo homo*. Secundus item pro solâ po-  
tentiali est à negatione divisi ad negationem om-  
nium partium dividendum, & à negatione harum  
omnium ad negationem divisi, *non est homo, ergo nec  
Petrus, nec Paulus &c.* & è contra. Tertiùs à positio-  
ne divisi & negatione unius membri, si duo tantum  
sint, ad affirmationem alterius, ut, *est animal, non ir-  
rationale, ergo rationale*: quod si partes plures sint, om-  
nes negandæ sunt præter unam, & vice versâ ab af-  
firmatione unius partis ad negationem alterius, ut,  
*est animal idque rationale, ergo non irrationale*. Pro actua-  
li Divisione hoc universim dici potest, bene valere ab  
affirmatione unius partis ad negationem alterius *est  
anima, ergo non corpus, est corpus, ergo non anima*. Quod  
enim aliqui dicunt, à diviso ad partes collectivè  
sumptas valere consequentiam, ut, *est homo, ergo ani-  
ma & corpus unita*, videtur potius argumentatio à de-  
finitione physica, quàm Divisione.

VI.  
Modi argu-  
mentandi à  
Divisione.

Hic disputant nonnulli utrùm definitio sit diver-  
sus modus sciendi à Divisione, sed quia res est non  
parum controversa, commodius discutietur in lo-  
gica: De qua proinde dicam d. 43. log. l. 2. Solùm hîc  
notandum ad modum loquendi, divisionem sicut &  
definitionem dici bonam vel malam, non veram vel  
falsam, veritas enim nisi in iudicio propriè esse non  
potest. Deinde potest esse propositio vera, & tamen  
definitio vel Divisio mala, ut, *homo est animal sensibile*,  
est vera propositio, mala tamen hominis definitio.

Definitio  
dicitur bona  
vel mala,  
non vera  
vel falsa.

## DISPUTATIO V.

## De Propositione.

## SECTIO PRIMA.

## De Nomine.

I.  
Definitio  
Nominis.

**N**omen non prout idem est cum termino, sed  
strictius sumptum, sic definit Aristoteles pri-  
mo Perih. c. 2. *Est vox significativa ex institu-  
to, sine tempore, cuius nulla pars significat separata, finita,  
& recta, quæ cum verbo est veram vel falsam efficit oratio-  
nem*. Per ly *vox* excluduntur termini mentales, per  
*significativa* voces non significativæ, per ly *sine tem-  
pore* differt à verbo, cuius nulla pars significat, ut exclu-  
dantur termini complexi ex duobus verbis, qui se-  
cundum aliquos sunt oratio: per ly *finita* excludun-  
tur termini infiniti, quos ob hoc à ratione nominis  
excludit Aristoteles, quod non videantur ita apti ad  
conficiendas propositiones doctrinales & scientificas,  
cùm non significant quid res sit, sed solùm quid  
non sit, & significatum habent valde indetermina-  
tum per ly *recta* excludit Aristoteles casus obliquos,  
qui non tam sunt nomina, quàm casus nominum,  
& significatio est imposita recto: tum etiam quia  
sensum cum verbo est per se efficere non possunt, &  
per hanc etiam ultimam particulam excluduntur  
termini adjectivi à ratione nominis.

Termini  
infiniti non  
sunt nomina.

Termini  
adjectivi  
non censentur  
nomina.

II.

Plurimæ circa hanc nominis definitionem ab A-  
ristotele traditam oriuntur difficultates, quam pro-  
inde acriter impugnât P. Hurr. hic s. prima & aliam

R. P. Th. Comptoni Philosophia.

impugnatu fortassis non difficiliorem statuit: sed res  
non est tanti, ut illi immorandum censeam.

Id solum hîc cum Doctoribus communiter no-  
tandum, hæc tria multum inter se differre, *significa-  
re tempus, connotare tempus, & significare cum tempore*.  
*Significare tempus* hîc dicitur quod ad tempus vel ali-  
quam ejus partem significandam imponitur, ut hæ  
voces, *tempus, annus, dies, hora &c.* Quorum princi-  
pale, imò adæquatum significatum est tempus vel  
pars ejus. *Connotare tempus* illa dicuntur, quorum li-  
cèt principale significatum non sit tempus, sed ali-  
quid aliud, denotant tamen illud aliud certo tempore  
fieri, ut *prandium & cena* significant comestionem,  
denotant tamen illam stato tempore fieri debere, ac  
proinde connotare tempus dicuntur. *Significare cum  
tempore* est non solùm significare actionem aliquam,  
sed ulterius etiam significare illam exerceri in ali-  
quâ differentiâ temporis, nempe *præterito, præsentî,  
vel futuro*, & cum eo à quo proficiscitur illa actio,  
in aliquâ ex illis temporis differentiis conjungi: v. g.  
hoc verbum *scribo* non solùm significat scriptionem,  
sed quod illa actio mecum tempore præsentî secun-  
dum exercitium conjungatur, unde manifesta est  
differentia inter hoc nomen *cena* & verbum *cæno*,  
nam *cæna* significat naturam actionis comedendi  
quasi affectam tempore nocturno, quod connotat,  
non tamen tempus significat: sicut licèt Pater sig-  
nificet naturam Patris ut connotat filium, non ta-  
men

III.  
Quid sit  
significare  
tempus.

Connotare  
tempus.

Significare  
cum tem-  
pore.

Aliud est  
connotare  
aliud sig-  
nificat.

B

hæc



men significat filium, sed *filius* significat filium, *pa-ter* patrem. Verbum autem *ceno* idem significat ac *cena*, & præterea hanc actionem exerceri in præsen-ti, & actu conjungi cum eo à quo procedit, unde hæc verba *ceno*, *prandeo* non solum connotant tem-pus vespere scilicet, aut meridiem, sed significant cum tempore. Quod idem est de præterito, quo sig-nificatur actio præterita conjuncta fuisse cum ali-quo, & de futuro, quo significatur conjungenda. Quod verò aliud sit connotare tempus, aliud signi-ficare cum tempore, patet, quia mutato tempore verbi, remanet idem tempus connotatum, sive enim dicamus *ceno*, *cenavi*, vel *cenabo* mutatur tempus cum quo significant illa verba, non tamen tempus quod connotant, quod tempus est nocturnum. Nomen ergo connotat tempus vel illud significat, non signi-ficat cum tempore, sed hoc verbo competit & par-ticipio.

## S E C T I O II.

## De Verbo &amp; Oratione.

**I.** Verbum definitur ab Aristotele primò Periher. c. 3. esse, *vox significativa ad placitum, cum tempo-re, cujus nulla pars separata significat, finita, & recta, & est eorum quæ de altero dicuntur, nota.* Plurimæ particu-læ hujus definitionis satis percipiuntur ex definitio-ne nominis. Per *ly cum tempore* differt à nomine ut dictum est, per *recta* intelligitur præsens indicativi modi, à quo ceteri modi & tempora derivantur & respectu illius sunt quasi obliqua; per *finita* excludit verba infinita, ut *non curro*, cum enim per illa deter-minatum prædicatum affirmari non possit de subje-cto, non possunt constituere propositiones scienti-ficas.

**II.** Tria munera exercet verbum, primò, significat aliquid, in quo à nomine non discrepat, ut *curro*, unde in propositione de secundo adjacente supplere potest rationem prædicati, ut, *Petrus currit*. Secun-dò, significat actionem aliquam exerceri certo tem-pore, quod est significare cum tempore. Tertiò, u-nit prædicatum cum subiecto, quod est munus illius ut est copula. Potest ergo infinitari verbum quoad unum munus, significationem v. g. quin necessariò infinitetur quoad aliud, copulationem v. g. unde in hac propositione, *Petrus non currit* duplex potest esse sensus, primus, ut solum negetur cursus de Petro, & sic negatur verbum, & fit propositio purè nega-tiva: Secundus, ut uniatur Petro negatio cursus, sic-que fit propositio affirmativa de extremo negato: negatio enim cum sit ad placitum, applicatur pro libito, ab hominibus, & vim suam vel uni vel alteri significato verbi accomodat.

**III.** Quod autem possit verbum secundum aliquod infinitari, probatur ex syllogismo illo quem conficit Aristoteles primo Post. c. 3. sic enim habet, *stella non scintillantes sunt prope nos, sed planeta non scintillant, ergo planeta sunt prope nos.* Ubi minor necessariò sumi debet infinitanter, ut sensus sit, planetae sunt stellæ non scintillantes, ut mateat propositio affirmativa, aliter in primâ figurâ concluderetur ex minori nega-tiva, contra leges syllogisticas. Imò & de plane-tis, si non existerent, tam affirmari posset per propo-sitionem negativam non scintillare, atque dum exi-stunt, sicut hæc jam est vera propositio, *Antichristus non loquitur*. Sufficit ergo ut verbum distinguatur ab omni alio, quod infinitari non possit quoad munus copulæ, per quod solum ab alijs omnibus distingui-tur, nam participia etiam significantur cum tempore.

**IV.** Huic addo, verbum est infinitari posse quoad ens *quo insit* in se inclusum, idque non in propositionibus tan-

tum necessarijs, ut *Chimæra non est*, id est, *est non ens*, *subinde* in quibus verbum absolvitur à tempore, sed etiam *in infinitis* in contingentibus, ut, *Petrus est*, infinitari potest di-cendo *Petrus non est*, id est, *est non ens*, nec ibi affir-mo simpliciter existentiam de Petro, sed solum quan-tum sufficit ad verificandam propositionem, ad quod non requiritur ut realiter tunc existat, est enim *distrahitio* ubi verbum non supponit pro differentiâ temporis per copulam importatâ, quo etiam modo verificantur illæ propositiones, *Petrus est mortuus*, *ig-nis est extinctus*, &c. ubi si necessariò significetur exi-stentia Petri & ignis nunc exercita sunt falsæ pro-positiones; significatur ergo eorum existentia, non quæ modò est, sed quæ aliquando fuit exercita, quæ sufficit & requiritur ad veritatem harum & simi-lium propositionum, quod etiam suo modo dicen-dum in propositionibus de futuro.

Dices, in propositionibus necessarijs, ut, *homo est animal*, verbum absolvitur à tempore, ut supra dixi-mus, ergo non significat cum tempore, sic enim ab illo non absolveretur, ergo ibi non est verbum. Resp. primò, absolvi à tempore, non esse nullum tempus significare, sed potius significare omnem differen-tiam temporis, præsentis scilicet, præteriti, & futuri indiscriminatim, & non restringi ad differentiam temporis per copulam importatam. Secundo dico, verbum absolvi à tempore non incongruè dici pos-se non significare aut exercere unionem existentia in-ter prædicatum & subiectum, sed solum unionem *essentia*, sicque quando nullo homine existente dici-mus, *homo est animal*, vera est propositio, non enim enuntiamus pro tempore præsentis unionem existen-tiæ inter animal & hominem, ita ut asseramus tunc hominem existere animal, sed solum denotat pro-positionem unionem *essentia* inter hominem & animal, id est, innuit animal esse prædicatum ita intrinsecum, & essentialiter petum ab homine, ut nec esse nec concipi sine illo possit. Unde semper vera est hæc propositio, *homo & fuit, & est, & erit animal*, & ex-plicari debet quasi conditionatè hoc modo, *homo, si sit, vel quandocumq; est, debet esse animal*. Quando au-tem verbum absolvatur à tempore, quando non ex natura extremorum judicandum est, quæ si fue-rint essentialia, arguunt tantum connexionem præ-dicatorum essentialium, & verbum absolvitur à tempore, si accidentalialia, connexionem cum existen-tiâ subiecti cui contingunt. In prioribus verò dicitur verbum absolvi à tempore quia cum non importetur existentia, non tam habetur ratio verbi, secun-dum munus significandi cum tempore, quam se-cundum munus uniendi prædicatum cum subiecto, seu copulæ.

Orationem (vocalem scilicet) sic definit Aristot-eles primo Periher. c. 4. *est vox significativa, cujus par-tium aliqua separata significat, ut dictio, sed non ut affir-matio vel negatio: ut dictio*, id est, sine vero vel falso; quæ definitio sicut & præcedentes, suas habet easque satis graves difficultates. Alij sic orationem defini-unt, *Oratio est cujus altera pars separata est significativa*, quæ definitio convenit etiam termino complexo, quem etiam orationem esse asserunt hi auctores. P. Hurtado hic Orationem sic definit. *Est vox significa-tiva composita ex nomine & verbo mutuo congruentibus.* Oratio vocalis alia perfecta, quæ sensum facit inte-grum, & non relinquit suspensum audientis ani-mum, ut, *paries est albus*; alia imperfecta, ut, *si vales* &c. Perfecta alia enunciativa, quæ affirmat vel negat, ut, *sol lucet*, *Petrus est homo*, & omnes fere indi-cativi modi, alia non enunciativa, in qua licet sen-sus sit perfectus, nihil tamen affirmatur vel nega-tur, quales sunt plerumque imperativi & optativi modi, ut, *perge studere, utinam salves, fac hoc*, &c. quæ proinde

V.  
Difficultas  
circa absolu-  
tionem Ver-  
bi à tempore,

Homo  
est animal  
est propositio  
quasi  
condit. onata.

VI.  
Quid sit  
Oratio.

Orationes  
vera, nre  
falsa.



proinde orationes nec veræ sunt, nec falsæ.

### SECTIO III.

Explicatur natura Propositionis, & dividitur in Categoricam, & Hypotheticam.

I. **P**ropositio est Oratio enunciativa alicujus de aliquo: Per Orationem, quæ est loco generis, convenit cum Oratione imperfecta, per alias particulas differt. Dividitur propositio in affirmativam & negativam, quæ utrum sit essentialis divisio, nec ne, dicitur in Logica. Secundo, in veram vel falsam, quæ oritur ex præcedente. Tercio in Categoricam & Hypotheticam. Categorica est quæ constat subiecto, prædicato, & copulâ, quæ semper verbum esse debet, & unire prædicatum subiecto. Hæc porro copula unica tantum sit oportet, licet enim alia verba reperiri possint in propositione Categoricâ, tum ex parte subiecti tum prædicati, ut in hac propositione quam omnes fatentur esse categoricam, *paries qui est albus, disgregat visum*, non tamen sunt copulæ illæ exercitæ, sed solum circumstantiæ prædicati vel subiecti, nil enim affirmant vel negant, sed quasi supponendo unum, affirmatur per copulam principalem aliud, vocaturque copulæ solum minus principales, & implicationis, seu implicitæ importatæ; perinde enim est ad hanc propositionem sive quis dicat, *paries albus disgregat visum*, sive, *paries qui est albus disgregat visum*, unde prior illa copula non est copula hujus propositionis.

Explicatur natura propositionis categoricæ.

II.

Hæc autem est propositio integra categorica, *Petrus est*, includitur enim prædicatum in verbo, nempe participium, & sensus est, *Petrus est existens*, vel *Petrus est ens*, & idem dicendum de omnibus fere verbis, præsertim tertiæ personæ, ut, *currit, scribit &c.* ex quibus proinde ut fiat propositio categorica, solum addendum subiectum. Quando ergo in istis propositionibus ponitur prædicatum explicite, vocatur propositio de tertio adjacente, ut, *Petrus est albus*, sed si solum includatur in verbo, dicitur propositio de secundo adjacente, ut, *Petrus est. Petrus currit &c.* Hæc autem, *pluit, ningit, grandinat, scribo, lego &c.* in voce propositiones non sunt, sunt sensus, unde iis auditis, statim concedimus vel negamus.

Propositio de secundo, & tertio adjacente.

III. Quid sit propositio hypothetica.

Hypothetica est quæ constat ex duobus propositionibus categoricis, vel saltem orationibus tanquam extremis, in qua copula non est verbalis, sed una fere ex his conjunctionibus &, vel, aut, si, quia. Non ergo affirmat unam propositionem aut orationem de alia, tanquam prædicatum de subiecto, sed solum enunciat nexum vel disjunctionem earum inter se. Unde nimis religiosè, & contra communem sententiam summularum ætymologiæ nominis adhæret. P. Hurt. hic d. 4. l. 3. §. 7. dum solas propositiones conditionales vult esse hypotheticas, ut, *si sol ortus fuerit, erit dies*, quod scilicet hypothesis idem sit ac suppositio, unde negat hanc esse hypotheticam, *Petrus currit & Paulus loquitur*. Sed nobis non est recedendum à communi modo loquendi.

### SECTIO IV.

De materia, & forma, quantitate, & qualitate propositionis categoricæ.

I. **M**ateria propositionis Categoricæ est habitudo, vel respectus prædicati ad subiectum, qui triplex est, necessarius, impossibilis, & contingens, à quibus propositiones suam item denominationem desumunt, quod etiam in propositione hypotheticâ verum est. Dicitur ergo propositio de materiâ ne-

R. P. Th. Comptoni Philosophia.

cessariâ seu naturali, quando prædicatum necessariò vel naturaliter convenit subiecto; necessariò ut, *homo est animal*, naturaliter, ut, *ignis est calidus*. Propositio de materiâ impossibili seu remotâ est, cum prædicatum repugnat subiecto, ut, *homo est lapis*. Cum autem ita prædicatum convenit subiecto, ut possit naturaliter non convenire, dicitur esse in materiâ contingenti, ut, *Petrus currit*.

Hæc ergo propositio animal est rationale, si animal capiatur pro genere, est contingens, licet enim rationale sit substantia, convenit tamen animali ut sic, accidentaliter; animal enim non magis petit contrahi per differentiam rationalis quàm irrationalis, unde dicitur rationale (idem est de irrationali) respectu animalis accidens, non physicum, seu in entitate, sed metaphysicum, id est, accidentaliter ei conveniens. Unde duplex est propositio accidentaliter, altera cum prædicatur accidens quod convenit subiecto contingenter, ut, *paries est albus*, altera cum prædicatur id quod licet sit substantia entitativè, accidentaliter tamen seu contingenter convenit subiecto, ut, *animal est rationale, animal est irrationale*.

II. Animal est rationale est propositio contingens.

Forma Propositionis est unio seu copula; propositio enim est quid compositum seu unitum, compositio autem & uniti forma est unio.

III. Forma Propositionis.

Quantitas Propositionis (metaphorâ à rebus ad propositionem translata) est extensio quædam vel limitatio subiecti, ut pro pluribus vel paucioribus sumatur, estque quadruplex, universalis, cum subiectum principale est terminus communis affectus signo universalis, ut, *omnis leo rugit*. Particularis, cum subiectum est terminus communis affectus signo particulari, ut, *aliquis leo rugit*; indefinita, cum subiectum est terminus communis, nullo signo affectus, ut, *leo rugit*; singularis, cum subiectum est terminus singularis, vel stat pro singulari, ut, *Petrus, vel hic homo currit, Philosophus studet*; intelligendo de Aristotele.

IV.

Quantitas Propositionis.

Circa Propositionem indefinitam id solum notandum, in materiâ contingenti æquivalere particulari, ut, *aquila volat*, id est aliqua aquila volat, nisi cum terminus communis supponit immobiliter, ut *homo subinde est species*: in materiâ autem naturali æquivalere universalis, ut, *homo est animal*, id est omnis homo est animal. Quod idem dicunt Theologi & Iuristæ, hi in propositionibus legis, ut *homicida capite plectatur*, id est, omnis homicida; illi in Propositionibus fidei, ut, *moriens in gratia salvabitur*, id est omnis moriens in gratia. Nulla verò quoad hoc habetur ratio prædicati, unde hæc est universalis Propositio, *omnes tres Divinæ Personæ sunt Deus*: nec casus obliqui quare hæc est quantitas universalis, *omnis equus Petri currit*, hæc particularis, *aliquis equus omnium hominum currit*.

V.

Propositio indefinita est quæ æquivalere particulari.

Propositio indefinita est quæ æquivalere particulari.

VI.

Qualitas Propositionis duplex recensetur ab authoribus, veritas & falsitas, affirmatio & negatio, quarum tamen exacta examinatio ad logicam spectat, nam affirmatio & negatio communiter dicuntur essentia potius propositionum quàm qualitas. Id solum hic notandum, quæ propositio sit affirmativa, quæ negativa, ex copula principali, seu officium copulæ exercente dignosci, quæ si affirmativa sit, erit propositio affirmativa, licet habeat aliam copulam minus principalem negativam, ut, *qui non quiescit, movetur*, est affirmativa, erit autem Propositio negativa principali copulâ negatâ, licet minus principalis sit affirmativa, ut, *qui moritur in peccato, non videbit Deum*, quæ est Propositio negativa.

Propositio de materiâ necessaria, contingente, & impossibili.



## SECTIO V.

## De Propositione Hypothesica.

I.  
Natura pro-  
positionis  
hypothesicae.

**P**ropositionis Hypothesicae naturam supra declara-  
vimus sec. 3. aliqua solum, hic notanda. primò,  
non sufficere ut Propositio sit Hypothesica, quòd in  
sensu aequivalet Hypothesica, sed requiritur ut ex  
communi modo significandi indicet connexionem  
plurium sententiarum, sicut nec homo est terminus  
complexus, licet idem sit quod animal rationale, nec  
hæc propositio homo est animal, est hypothetica, licet  
aequivalet huic, Petrus est animal & Paulus est ani-  
mal; unde hæ & similes non sunt hypotheticae, sed  
categoricae Petrus & Ioannes student, Petrus est student  
& legens, licet hypotheticis in sensu aequivalet, sed  
sunt categoricae de extremo copulato, prima de subje-  
cto copulato, secunda de copulato prædicato. Hæc  
autem, lego & scribo, est hypothetica, non præcisè  
quia aequivalet hypotheticae, sed quia ex usu & mo-  
do loquendi, verbum solum prolato, ut supra di-  
ximus, capi solet pro integrâ propositione categori-  
ca. Hæc verò & similes, Petrus qui ambulat, disputat,  
omnis homo qui currit, movetur, non sunt hypotheticae  
sed categoricae de subiecto circumstantiato, licet enim  
sint ibi duo verba, primum tamen non exercet ra-  
tionem copulae, cum non affirmet vel neget, sed so-  
lum aliquid supponit, ut supra diximus, nam si affir-  
maret, secunda propositio quæ est necessaria & ve-  
ra, esset falsa, affirmaret enim omnes homines cur-  
rere, quod est falsum. Ad hypotheticam ergo requiritur  
duplex categorica inter se copulata, præsertim in  
copulativis & disjunctivis, quod tamen hic non con-  
tingit.

II.  
Quantitas  
propositionis  
hypothesicae.

Secundum est, quantitatem Propositionis hypo-  
thesicae desumi ex propositionibus categoricis, ex  
quibus constat, quæ illi sunt instar prædicati & sub-  
iecti. Aliam tamen etiam peculiarem sibi habent  
quantitatem desumptam ex copula, quæ si fuerit con-  
iunctio & Propositio erit universalis, quia ad suam  
veritatem petit ambas categoricas veras; si con-  
iunctio sit disjunctiva, erit particularis, quia ad ejus ve-  
ritatem sufficit altera categorica vera, ut, Petrus stu-  
det vel currit.

III.  
Quæ hypo-  
thesica sit  
affirmati-  
va, quæ ne-  
gativa.

Tertium est, Hypothesica sitne affirmativa an ne-  
gativa, dignoscendum ex copula principali, seu con-  
iunctione, non ex copulis categoricarum, unde hæc  
est affirmativa, Petrus non scribit, & Paulus non currit,  
quia copula est affirmativa, solum enim ibi specta-  
tur unio illarum sententiarum inter se, quæ cum af-  
firmetur, propositio erit affirmativa, & idem est de  
negativa, contrariarum enim contraria vel eadem est  
ratio, & consequentia.

IV.  
Differentia  
inter Nul-  
lus & Non  
posita initio  
propositio-  
nis.

Hic verò notandum, si negatio sit nominalis, ut  
nullus, ac ponatur in initio Propositionis, non negat  
copulam principalem, sed relinquit Propositionem  
affirmativam, unde hæc propositio, Nullus homo lo-  
quitur, & equus currit, est affirmativa; si verò negatio  
sit adverbialis, ut non, posita in initio facit Proposi-  
tionem negativam, hæc enim ex modo significandi  
& usu negat in Propositione materiam sibi subje-  
ctam, nempe copulam, quæ in hypothetica est con-  
iunctio: unde hæc est negativa, non Petrus currit, &

Paulus loquitur: hæc affirmativa, Petrus non currit, &  
Paulus non loquitur.

Hypothetica Propositio est quadruplex, copula-  
tiva, cujus partes principales uniuntur particula &, V.  
aut aliâ simili copulativè, non copulativè sumptâ,  
seu uniente integras Propositiones, non simplices  
solum terminos, ut Petrus currit, & Paulus loquitur.  
Particula autem istæ sunt tam, quam, talis, qualis, qui.

Disjunctiva, cujus partes principales uniuntur VI.  
coniunctione disjunctivâ, vel, aut aliâ simili dis-  
iunctivè sumptâ, non disjunctim, ut, Petrus currit,  
vel loquitur. Disjunctiva verò non facit sensum ex-  
clusivum, sed præcisivum, sensus enim illius propo-  
sitionis, Petrus currit, vel loquitur non est hic, vel Pe-  
trus tantum currit, vel tantum loquitur, ita ut si utram-  
que faciat, sit futura falsa propositio (licet non ne-  
gem aliquas propositiones disjunctivas interdum  
hunc sensum facere posse maxime in prædicatis  
contradictoriis) sed potius est magis vera, quia ma-  
gis recedit à falsitate; necessaria ergo est veritas al-  
terius partis, neque obstat, aut requiritur veritas utri-  
usque.

Conditionalis ea est cujus partes uniuntur particu- VII.  
lâ si illativè sumptâ, denotando scilicet unum con-  
ditionatè inferri ex alio. Unde conditionalis propo-  
sitionis est quadam quasi argumentatio habens pri-  
mam partem pro antecedente, si pro copula, & se-  
cundam partem pro consequente, ut, si mater est, di-  
ligit filium: si sol lucet, dies est &c. Particula enim si a-  
liquando aliis modis sumitur, permixtè ut, si Petrus  
videris, meus enim verbis saluta: interrogativè sine vi illa-  
tionis, ut, si valet frater tuus. Veritas huius propositio-  
nis ex solâ illatione pensanda est unde hæc est fal-  
sa, homo est animal, equus est hinnibilis, licet utraque  
pars sit vera, quia unum non sequitur ex alio. Pote-  
rit etiam esse vera, licet utraque pars seu categori-  
ca sit falsa; unde vera est hæc propositio, si lapis est es-  
quis, est hinnibilis, dato enim primo, sequeretur ne-  
cessariò secundum, conditionale enim nihil ponit in esse,  
id est, non affirmat quidquam revera & de facto ef-  
fesse, sed affirmat solum quid foret, si alterum verè ef-  
fesse.

Conditionalis necessaria triplex est, necessitate VIII.  
metaphysicâ, physicâ, morali: metaphysicâ, cum  
nec per divinam potentiam potest aliter contingere,  
ut, si homo est, est rationalis; physicâ, cum secundum  
naturas rerum non potest aliter contingere, licet  
per divinam potentiam possit, ut, si ignis est approxi-  
matus, calefacit; morali, cum ut plurimum contingit,  
licet etiam naturaliter possit contrarium accidere,  
ut, si mater est, diligit filium.

Conditionalis affinis est causalis, cujus partes uniun- IX.  
tur per particulam quia, & denotat unum inferri ab-  
solutè ex alio. Differt à conditionali, primò, quòd  
hæc conditionatè solum inferat, causalis absolutè.  
Secundò, quòd hæc denotet unum esse veram cau-  
sam alterius, illa autem quamvis hoc non renuat,  
non tamen requirit; unde ut vidimus, licet utraque  
pars conditionalis sit falsa, illa tamen potest esse ve-  
ra, ut, si Petrus est leo, est rugibilis: in causali autem  
ut vera sit, non requiritur solum ut utraque pars sit  
vera, sed ulterius ut una sit causa alterius, ut autem  
sit falsa sufficit vel unam partem esse falsam, vel non  
esse causam alterius, ut, quia leo valet est rugibilis, quia  
equus est quadrupes est hinnibilis.



## DISPUTATIO VI.

## De Proprietatibus Propositionum.

Propositiones  
modales, &  
de inesse.

**P**ropositiones alia cum modo quodam profertur, ut *lepus necessario currit*, quæ proinde modales vocantur; alia sine huiusmodi modo, ut *Petrus studet*, & vocantur propositiones de inesse, quas hæc sequuntur proprietates, oppositio, equipollentia & controversio. De singulis aliquid dicendum.

## SECTIO PRIMA.

## De Oppositione Propositionum de inesse.

VI.  
Quid sit op-  
positio propo-  
sitionum.

**O**ppositionem rigorosam sic definit Aristoteles primo Perih. c. 4. est affirmatio & negatio ejusdem de eodem, opponi namque est quasi contraponi, seu negare quod alia affirmabat, ut, *Petrus studet*, *Petrus non studet*: ad hanc porro variae requiruntur conditiones: prima est, ut sit idem utrobique prædicatum & subiectum, alioquin non erit ejusdem de eodem; unde hæc non sunt oppositæ, *canis latrat*, *canis non latrat*, si in unâ intelligatur de cane terrestri, in aliâ de celesti, quia non est idem subiectum: nec hæc, *Petrus est Gallus*, *Petrus non est Gallus*, si Gallus in diverso sensu accipitur, quia licet subiectum sit idem, non tamen est idem prædicatum, sed mutatur suppositio. Secunda, ut extrema eodem ordine participantur, hoc est, maneat in utraque eadem circumstantia loci ac temporis, eadem adjectiva, adverbia &c. Defectu cujus hæc non sunt oppositæ, *Christus est sub speciebus panis*, *Christus non est sub speciebus panis*, si una propositio intelligatur de Christo ut in Sacramento, alia de eo ut in cælo: nec hæc, *omnis homo currit*, *aliquis homo non currit*, si prima intelligatur de cursu heri exercito, altera hodie, & huiusmodi alia infinita. Tertia, ut servantur utrobique eadem proprietates logicæ, videlicet ampliatio, restrictio, appellatio, & suppositio, nisi quod in suppositione distributivâ aliquid singulare reperiatur, de quo postea.

Tres condi-  
tiones ad op-  
positionem  
propositionum  
requiritur.

II.  
Quatuor  
genera oppo-  
sitionum.

**O**ppositionum communiter quatuor recensentur genera: Contradictoria, contraria, subcontraria, & subalterna. Contradictoria sunt duæ propositiones quarum una est affirmativa, altera negativa, una universalis, altera particularis, vel utraque singularis, ut, *omnis homo currit*, *aliquis homo non currit*, *Petrus studet*, *Petrus non studet*: hæc ergo non sunt contradictoria, *omnis homo studet*, *Petrus non studet*, possunt enim simul esse falsæ, si Petro studente Joannes non studeat, & idem est de omni propositione singulari quando altera est universalis, contradictoria enim nec simul veræ, nec simul falsæ esse possunt. Hæc etiam non sunt contradictoria, *omnes homines currunt*, *aliqui non currunt*, possunt enim esse simul falsæ si omnes currant præter unum. Ratio utriusque est, quia datur medium inter hoc quod est omnes currere, & aliquos non currere, nempe aliquem non currere,

Contradictoria simul  
veræ, aut  
simul falsæ  
esse non pos-  
sunt.

quod de illis etiam proximè assignatis dicendum. Reducuntur ergo hæc propositiones ad contrarias.

**Contraria** sunt duæ propositiones ejusdem semper quantitatis, & utraque semper universalis, ut, *omnis homo est animal*, *nullus homo est animal*: *Petrus ubique studet*, *Petrus nullibi studet*: ad quas reducuntur hæc & similes quæ quasi universales censentur, quia nec particulares nec singulares sunt, nempe, *Petrus & Paulus currunt*, *Petrus & Paulus non currunt*. Contraria simul veræ esse non possunt, sic enim sequerentur duæ contradictoria simul veræ contra lumen naturæ: Probatur, si enim hæc essent simul veræ, *omnis homo est albus*, *nullus homo est albus*, hæc similiter essent veræ, *omnis homo est albus*, *aliquis homo non est albus*, nam hæc posterior includitur in illâ nullus homo est albus, ergo si illa est vera, à fortiori hæc. Simul falsæ in materia contingenti esse possunt, ut patet ex posito exemplo, non tamen in materia necessaria vel impossibili, quia in illis materiis quod convenit aut disconvenit uni, convenit & disconvenit omnibus, ut discurrenti constabit.

III.  
Contraria

Propositiones  
contraria  
simul veræ  
esse ne-  
queunt.

Possunt sub-  
inde esse si-  
mul falsæ.

**Subcontraria** sunt duæ propositiones particulares, vel saltem indefinitæ (hæc enim in materia contingenti æquivalent particularibus, ut supra diximus) quarum una est affirmativa, altera negativa, ut *aliquis homo currit*, *aliquis homo non currit*. Hæc non sunt propriè oppositæ, quia non de eodem, unde non mirum quod simul veræ esse possint in materia contingenti, ut *aliquis homo loquitur est verum*, si Petrus loquatur, item, *aliquis homo non loquitur est verum*, si Antonius non loquatur. In materia autem remota seu impossibili & naturali simul veræ esse non possunt, sic enim darentur duæ contraria, & consequenter contradictoria simul veræ: si enim hæc est falsa, *aliquis homo disputat*, vera erit hæc, *nullus homo disputat*, est enim ejus contradictoria, & si hæc simul est falsa, *aliquis homo non disputat*, vera erit hæc, *omnis homo disputat*, quæ est ejus contradictoria, sicque duæ contraria erunt simul veræ, nempe, *omnis homo disputat* & *nullus homo disputat*, ex contrariis autem veris sequuntur contradictoria simul veræ, ut jam diximus, ergo.

IV.  
Subcontra-  
ria.


Propositiones  
subcontraria  
interdum  
sunt simul  
veræ.

**Subalterna** (quæ vix dici possunt oppositæ) sunt duæ propositiones quarum utraque est affirmativa, vel utraque negativa, & solum differunt in quantitate quod una sit universalis, vel indefinita in materia saltem necessaria, & subalternans vocatur, altera particularis, & vocatur subalternata, ut, *omnis homo est animal*, vel *homo est animal*, *aliquis homo est animal*, unde una includitur in aliâ, & unius veritas & falsitas pendet à veritate & falsitate alterius, non tamen convertibiliter licet enim valeat, *omnis homo est animal*, ergo *aliquis homo est animal*, non tamen e contra. Quæ omnia ex subiectâ tabulâ melius perspicientur.

V.  
Subalterna.



## TABULA OPPOSITORUM



## SECTIO II.

## Corollaria quadam circa Oppositionem Propositionum.

I. *Contradictoria oppositio est natura prior oppositio contraria.*

*Simpliciora sunt priora.*

*Contradictoria non habent medium.*

*Contradictoria in specie simul vera & falsa.*

*Contrarias de lege.*

**E**X dictis inferas primò *contradictoriam* Oppositionem & *contrariam* habere se sicut excedens & excessum. *Contradictoria* est prior naturâ oppositione *contrariâ*, quia prius naturâ destruitur, & immediatius veritas propositionis universalis per particularem *contradictoriam*, quàm per universalem *contrariam*, & prius est aliquem hominem non esse animal, quàm nullum esse animal, simpliciora enim sunt priora. Hoc ergo sensu *contradictoria* oppositio est nobilior *contrariâ*, sicque ab Aristotele primo *Periher.c.4.* vocatur oppositio per antonomasiam. Alio tamen sensu major est oppositio *contraria*, quia una propositio destruit aliam totaliter, & non partialiter tantum, ut in *contradictoriis*, quæ de causâ *contraria* dicuntur maximè distare, unde & medium in illis dari potest, sicut in distantia locali quæ multum distant, facillè medium habere possunt; nec enim est necessarium ut quis sit Romæ proximus, vel distet centum leucis, potest enim distare unâ vel duabus tantum, quod est habere medium; *contradictoriæ* verò, cum minimùm distent, habere medium non possunt.

**II.** Inferas secundò, nullas dari posse *contradictorias* simul veras & simul falsas, quod licet omnium, & ipsius poenè naturæ vox sit, aliqua tamen exempla hic discutienda apponam, in quibus peculiaris aliqua difficultas esse possit. Primò ergo, hæ, quæ ab aliquibus pro *contradictoriis* afferuntur, *Petrus necessario currit, Petrus necessario non currit*, *Petrus nonnunquam studet, Petrus nonnunquam non studet*: *paries essentialiter est albus, paries essentialiter non est albus*, *contradictoriæ* non sunt, quia una non negat quicquid altera affirmat, prima enim affirmat cursum & necessitatem de Petro, secunda licet neget cursum, non tamen necessitatem, imò eam affirmat de non cursu, & sic vocantur *contrariæ de lege*, id est, servant leges oppositionis *contrariæ* quoad veritatem & falsitatem, licet propriè *contrariæ* non sint. Hæ verò *neuter oculus videt, neuter oculus non videt*, non sunt

*contradictoriæ*, simul enim falsæ esse possunt, si alter oculus claudatur, vel sit extinctus, reducuntur ergo ad *contrarias*, ut suprâ diximus de illis *Petrus & Paulus currunt, Petrus & Paulus non currunt*, sicut nec hæ *contradictoriæ* sunt uterque homo currit, uterque homo non currit. *Contradictoriæ* ergo harum sunt, *neuter oculus videt, alter oculus non videt, uterq; currit, alter non currit*, &c.

Hæ autem, aliquis equus requiritur ad equitandum, nullus equus requiritur ad equitandum, *contradictoriæ* non sunt, sed utraq; vera, mutatur enim suppositio, & equus in primâ propositione supponit confusè speciali confusione, in secundâ distributivè, sicque non est identitas subiecti, cum in primâ de nullo in particulari affirmem necessitatem, sed solum de toto disiuncto, in secundâ verò nego determinatè & distributivè de singulis, atque ita non nego de eodem de quo antea affirmabam.

Dices, semper in *contradictoriis* ubi altera est de termino communi, mutatur suppositio distributiva in determinatam, ut, *omnis homo currit, aliquis homo non currit*, ubi homo in primâ propositione supponit distributivè, in secundâ determinatè, ergo mutatio suppositionis non obstat *contradictioni*. Resp. hanc mutationem suppositionis non obstat, quia non facit quod sit aliud subiectum, cum enim dico, *omnis homo*, comprehendo omnia particularia determinatè, & consequenter cum dico *aliquis homo non currit*, significo unum ex illis qui antea in universali significabantur, non currere, unde de eo nego de quo antea affirmabam, licet antea de aliis simul cum eo affirmarem, hoc tamen non impedit quo minùs de eo etiam affirmarem.

Est difficultas de hac propositione apud Theologos, *Deus generat, Deus non generat*, utrum una sit *contradictoria* alterius. Dico, si hoc modo explicetur, *Deus in aliqua personâ generat, Deus in ullâ personâ non generat, seu in nullâ personâ generat*, sunt *contradictoriæ*, sed secunda est falsa, nam natura Divina ut in primâ personâ Patris, generat verbum Divinum.

Inferas tertiò contra nonnullos recentiores, nullam dari propositionem cui non possit assignari *contradictoria*. Præcipuam statuunt difficultatem in propositione constante ex duabus categoricis sibi invicem *contradictentibus*, ut, *Petrus currit & non currit*, cui, inquit, nihil *contradictorium* afferri potest, nam quicquid affirmas vel negas de Petro, cursum scilicet vel non cursum, est in priori propositione affirmatum & negatum. Ad hoc etiam dico, *contradictoriam* illius propositionis esse hanc, *non Petrus currit & non currit*, vel ista, *non simul Petrus currit & non currit*, alia enim propositio non affirmabat cursum & non cursum de Petro quomodocumque, sed simul, unde secunda negat cursum & non cursum, non quomodocumque Petro convenire, sed convenire simul; cum ergo obiectum illius propositionis ut hypothetica est, sit illa simultas cursûs & non cursûs, obiectum *contradictoriæ* erit negatio illius simultatis. Non enim est melius negare, quàm totâ propositioni non præponere. Unde cum duæ illæ categoricæ uniuntur in hypotheticâ, habet illa ex vi illius conjunctionis diversum significatum ab iis categoricis non unitis, seu extra propositionem hypotheticam prolatis, nempe simultatem, quam proinde negat *contradictoria*.

Dices, *contradictoria* debet negare quicquid altera affirmabat, sed altera affirmabat Petrum currere & non currere, ergo *contradictoria* debet utrumque negare de Petro, & currere scilicet & non currere, ergo etiam est falsa. Resp. distinguendo maiorem, debet negare quicquid altera affirmabat eo modo

III.

IV.

*Difficultas circa propositiones contradictorias.*

V.

VI.

*Nulla est propositio cui assignari nequeat contradictoria.*

VII.

*Occurrit objectioni circa prædictas contrarias.*

que



quo ab illa affirmabatur, concedo maiorem; alio modo quam ab illa affirmabatur, seu absolute, nego: hypothetica autem, quæ talis, affirmat solam connexionem illorum duorum de Petro, non ullum sigillatim, unde & contradictoria etiam hypothetica debet negare illa eo modo quo affirmabatur, nempe simul esse in Petro, non sigillatim, sic enim non esset contradictoria.

## SECTIO III.

## De Equipollentia Propositionum.

**I.** **Æ**quipollentia propositionum est duarum propositionum æquivalentia, quæ nascitur ex diversis signis quibus propositio afficitur. Diversa autem ratio est de signis pluralibus & singularibus. Pro æquipollentiâ signorum numeri singularis dignoscendâ tres tradi solent regulæ, quæ hoc versu à Dialecticis comprehenduntur.

**II.** *Præ contradic*, post *contra*, *præ postq*, *subalter*.  
*Præ contradic*, hoc est, si uni contradictoriarum præponatur particula *non* erit æquipollens seu æquivalens alteri contradictoriæ, v.g. hæ sunt contradictoriæ, *omnis homo currit*, *aliquis homo non currit*, si ergo primæ propositioni præponas adverbium *non*, & di-

cas, *non omnis homo currit*, æquivalere huic, *aliquis homo non currit*, quæ erat contradictoria primæ. Post *contra*, hoc est, si subiecto unius ex contrariis postponatur adverbium *non*, æquipollere alteri contrariæ, ut, *omnis homo est albus*, *omnis homo non est albus*, secunda significat idem ac, *nullus homo est albus*. *Præ postq*, *subalter*, hoc est, si uni subalternarum præponatur negatio, & post subiectum ponatur alia, erit æquipollens alteri subalternæ, ut, *omnis homo currit*, *aliquis homo currit*, si dicas, *non omnis homo non currit*, perinde erit ac si diceres, *aliquis homo currit*; paritas enim negationum affirmat, imparitas negat.

Hoc, ut dixi, advertendum, differentiam scilicet esse inter terminos signis pluralibus affectos & singularibus, nam singularia distribuunt divisivè per singula individua, pluralia verò sumuntur non pro singulis individuis, sed pro collectionibus, eorum, unde *omnes homines currunt* non debet resolvi sicut *omnis homo currit*, nempe, *hic homo currit*, & *ille homo currit*, &c. sed hoc modo, *hi homines currunt* & *illi homines currunt*. Unde hæ non sunt contradictoriæ, *omnes homines currunt*, *aliqui non currunt*, sed potius contrariæ, cum simul falsæ esse possint si omnes currant præter unum: unde *non omnes* non æquipollent huic, *aliqui non*, sicut *non omnis* huic, *aliquis non*. Quæ clarè ex sequenti tabulâ innotescunt.

III.

Diversitas  
æquipollentiæ  
in signis plu-  
ralibus, &  
singularibus

## Tabula Equipollentiæ, &amp; Oppositiones in signis Pluralibus.

Omnes.	6	2	4	1	4	2	2	5	2	4	1	4
Nulli.	2	6	2	4	1	4	5	2	4	1	4	2
Aliqui.	4	2	6	3	4	1	2	3	7	4	3	7
Non omnes.	1	4	3	6	3	4	4	1	4	3	5	3
Non nulli.	4	1	4	3	6	3	6	4	3	5	3	4
Non Aliqui.	2	4	1	4	3	6	4	2	7	3	4	7
Omnes non.	2	5	3	4	6	4	6	1	4	1	4	2
Nulli non.	5	2	3	1	4	2	1	6	2	4	1	4
Aliqui non.	2	4	7	4	3	7	4	2	6	1	4	1
Non omnes non.	4	1	4	3	5	3	1	4	1	6	5	4
Non nulli non.	1	4	3	5	3	4	4	1	4	5	6	3
Non aliqui non.	4	2	7	3	4	7	2	4	1	4	3	0
	Omnes.	Nulli.	Aliqui.	Non omnes.	Non nulli.	Non aliqui.	Omnes non.	Nulli non.	Aliqui non.	Non omnes non.	Non nulli non.	Non aliqui non.
Contradictorij.	1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.					

## SECTIO IV.

## De Conversione Propositionum Simplicium.

**I.** **C**onversio est duarum propositionum unius ad alteram per extremorum transpositionem con-

sequentia necessaria, ut, *nullus homo est lapis*, ergo *nul-  
lus lapis est homo*: Propositio cuius extrema mutantur, dicitur *conversa*, illa verò in quam mutatur, *convertens*.

Fit tripliciter: primò *simpliciter*, manente scilicet eadem qualitate affirmationis & negationis, sicut & quanti-

II.



Tribus mo-  
dis fit hæc  
conversio.

quantitate, ut, nullus equus est leo, ergo nullus leo est equus: aliquis homo est animal, ergo aliquod animal est homo. Secundò per accidens, mutatà quantitate, ut, nullus homo est lapis, ergo aliquis lapis non est homo; omnis homo est animal, ergo aliquod animal est homo. Tertiò per contrapositionem, ubi manente eadem quantitate & qualitate, termini finiti redduntur infiniti, ut, omnis equus est hinnibilis, ergo omne non hinnibile est non equus: item, aliquis homo non est lapis, ergo aliquid non lapis non est non homo. Ut autem facilius sciatur quæ cuilibet propositioni debeat conversio, sic canunt Dialectici:

*Simpliciter feci, convertitur Eva per acci,*

*Asto per contra, sic fit conversio tota.*

Hoc est, universalis negativa & particularis affirmativa significatæ per hanc vocem *feci* convertuntur simpliciter. Item universalis negativa & universalis affirmativa significatæ per hanc vocem *Eva*, convertuntur per accidens: per contrapositionem autem convertuntur universalis affirmativa & particularis negativa denotatæ per illam vocem *asto*. Ad explicationem priorum earumdem sic rursus canunt eadem musæ:

*Afferit A, negat E, stant universaliter ambo,*

*Afferit I, negat O, stant particulariter ambo.*

Licet verò hic nulla fiat mentio de propositione cuius subjectum est terminus singularis, illa tamen simpliciter converti potest, ut, *Petrus est hic homo; ergo hic homo est Petrus. Petrus non est Paulus, ergo Paulus non est Petrus*, ut bene notat Fonseca l. 3. Infit. c. 8.

## SECTIO V.

### De Propositionibus Modalibus.

I.  
Differentia  
inter Modalem  
proposi-  
tionem, &  
de inesse.

**P**ropositio Modalis illa est, quæ non simpliciter profertur sicut propositiones de inesse, sed affecta aliquo ex his quatuor modis, *Necesse, Impossibile, Contingens, Possibile*, ut, *hominem esse animal est necesse; hominem esse equum est impossibile; hominem currere est contingens; hominem salvum est possibile*. Ad hæc autem propositiones parum refert quoad sensum utrum modus adverbialiter sumatur, an nominaliter, ut, *Petrum currere est contingens, vel, Petrus contingenter currit*.

II.  
Duobus mo-  
dis sumun-  
tur proposi-  
tiones Mo-  
dales.

Modales istæ propositiones sumi possunt in sensu vel composito, vel diviso; in diviso, ut *album esse nigrum est possibile*, non componendo simul albedinem cum nigredine, quod est sumi in sensu composito; sed sensus est, subjectum quod modo est album, posse esse nigrum amittendo albedinem; unde in sensu diviso est vera illa propositio, in sensu composito, falsa. Hæc verò, *necesse est peccatorem condemnari* sumitur in sensu composito, seu ut peccator est reduplicativè, & componendo peccatum cum condemnatione.

III.  
Modus, &  
dictum in  
propositione  
modali. Duo  
Modi uni-  
versales, duo  
particulares

Ut quantitas harum propositionum dignoscatur, notandum, duo semper in illis reperiri, *Modum & Dictum*; *Modum* iam declaravimus, *Dictum* sunt cæteræ partes orationis, seu subjectum. Ex modis duo censentur universales, nempe *Necesse & Impossibile*; duo particulares, nempe *Contingens & Possibile*. Quantitas verò harum propositionum simpliciter desumi solet ex quantitate modi, non dicti: unde hæc simpliciter censetur modalis universalis, *Petrum esse animal est necesse*, licet dictum, seu subjectum, sit singulare, hæc particularis, *omnem hominem currere est contingens*, licet alij huiusmodi mixtas vocent, alij hanc universalem de dicto, particularem de modo, & priorem particularem de dicto, universalem de modo, simpliciter verò universales eas solum esse dicant, in quibus & *modus & dictum* sunt universalis, ut, *omnem*

hominem currere est necesse.

Quoad qualitatem modalium affirmationem scilicet vel negationem, eas sunt affirmativæ quæ modum habent affirmativum, licet dictum sit negativum: eas negativæ quæ negationem habent ex parte modi, licet reliquæ partes propositionis sint affirmativæ; unde hæc est affirmativa, *necesse est hominem non esse equum*, hæc negativa, *non est necesse hominem currere*, quia in primâ negatio non tenet se ex parte modi sed dicti, in secunda non ex parte dicti sed modi.

IV.

Affirmatio  
& negatio in  
his dignosci-  
tur ex dicto.

Circa veritatem & falsitatem harum propositionum, attendendum utrum *modus* conveniat dicto, vel non, si conveniat, propositio affirmativa erit vera, negativa falsa, & e contra. Id verò operæ pretium est advertere, quod rectè annotavit Ioh. hic, omnes propositiones modales veras, esse necessarias, omnes falsas, impossibiles, unde hæc, *Petrum currere est contingens*, est propositio necessaria, dicit enim Petrum currere contingenter, quod est necessarium, non enim habet ex natura suâ, ut cursus cum illo necessario conjungatur. Unde licet hæc propositio sit contingens, *Petrus currit*, hæc tamen, *Petrum currere est contingens* est necessaria, & habet diversum sensum & objectum à præcedente. Ratio est, quia materia propositionum desumitur ex connexionem prædicati cum subjecto, hic autem, licet dictum seu subjectum vel prior pars propositionis sit in materiâ contingenti, prædicatum tamen est in materiâ necessaria, non enim dicit Petrum currere, sed cursum illi esse contingentem, quod est omnino necessarium, nam cursus, nec est nec esse potest illi necessarius, ergo contingens, nam si non potest esse necessarius, necessarium est ut sit contrarius necessario, id est, contingens, ergo propositio affirmans cursum esse Petro contingentem, affirmat id quod est necessarium, ergo est propositio necessaria. Sic hæc propositio, *Petrum sedere est contingens, est propositio modalis*, non est modalis, sed absoluta, quia absolute ei convenit esse modalem, nec prædicatum ibi est quid modale, ad hoc enim ut esset modalis, requiritur ut prædicatum affirmatum per copulam principalem, sit *modus*, quod hic non contingit. Sicut etiam hæc, *Petrus currit & Ioannes loquitur est hypothetica*, non est hypothetica, quia copula principalis est verbalis, non conjunctio, ut constat: unde licet sit hypothetica in actu signato, est categorica in actu exercito.

Petrum  
currere est  
contingens est pro-  
positio neces-  
saria.

Hæc propositio,  
Petrum  
currere est  
contingens  
est propositio mo-  
dalis, non est  
modalis.

## SECTIO VI.

### De Oppositione & Equipollentia Propositionum Modalium.

**A**d propositionis modalis proprietatem notatam suppositis antea dictis de Oppositione & Equipollentia aliarum propositionum non aliud requiritur quam ut tabulæ ad hoc ipsum confectæ inspiciantur, quæ rem per se aliquin obscuram mirâ claritate ob oculos ponunt. In his ergo Modalibus id solum notandum, ut sint contradictoriæ requiri ut negatio cadat supra modum, ut, *necesse est Petrum currere, non est necesse Petrum currere*, si enim negatio non cadat supra modum, sed supra dictum, non erunt contradictoriæ, sed contrariæ de lege: unde hæc, *necesse est Petrum currere, necesse est Petrum non currere* non sunt contradictoriæ, tum quia utraque affirmativa, tum quia ambo universales: sunt ergo contrariæ de lege, id est observantes leges contrariarum, licet enim simul falsæ esse possint, non tamen simul veræ.

I.  
Oppositio, &  
Equipollentia  
proposi-  
tionum mo-  
dali.

Quid sit  
propositio  
contraria,  
esse contra-  
ria de lege.

Ad facilitiorem verò harum propositionum intelligentiam, hæc quatuor verba statuunt Logici, *Purpurea,*

II.



puta, *Uliace*, *Amabimus*, *Edentuli*. Ad quorum explicationem hoc carmē condit Parnassus Dialecticus.

*E dictum negat, I que modum, nil A, sed V totum.*

Hoc est, *E* denotat propositionem negativam de dicto, & affirmativam de modo: *I* è contrario negativam de modo & affirmativam de dicto: *A* affirmativam & de dicto & de modo: *V* negativam de utroque. Quæ omnia ex sequenti tabula clarissime constabunt.

## SECTIO VII.

## De exponibilibus, seu exclusivis.

**I.** Propositiones exponibiles ex dicuntur, quæ cum peculiarem contineant difficultatem, per alias faciliores, quas *exponentes* vocant, explicari solent. Præcipue inter istas sunt *exclusivæ*, sic dictæ, quod signum aliquod in se exclusivum contineant, ut tantum, solum, &c. signum verò hoc vel potest cadere supra copulam, ut, *Petrus cucurrit tantum*, id est, in præterito solum exercuit cursum, & non modo: vel supra prædicatum, ut, *Petrus studuit Rome tantum*, id est, non in alio loco, & hæc vocatur *exclusiva de excluso prædicato*, vel supra subiectum, ut, *tantum Petrus studuit Rome*, id est, nullus alius ibi studuit præter Petrum, & hæc vocatur *exclusiva simpliciter*, seu de excluso subiecto. Ad proprietates harum dignoscendas invenerunt logici hæc quatuor verba, *Iste, Proram, Clavo, Regit*, quæ ad rationes literarum supra sec. 4. traditas sunt exigenda.

## SECTIO VIII.

## De Exceptivis, &amp; Reduplicativis.

**I.** *Exceptivæ* vocantur quæ signo aliquo *exceptivo*, ut, præter, excepto, afficiuntur. Terminus à quo fit exceptio, dicitur *exceptus*, & semper debet esse superior excipienti, unde particula *exceptiva* semper addi debet termino inferiori, ut, *omne animal præter hominem, est irrationale: omnis homo præter Petrum currit*. Hæc verò, sicut præcedentes, exponi debent per alias clariores, unde hæc, nullus color præter albedinem disgregat visum, sic exponi debet, inter colores albedo disgregat visum, & nullus alius color. Harum naturam & proprietates explicant hæc quatuor verba, *Date, Penam, Pigro, Prompti*.

**II.** Propositiones *Reduplicativæ* sunt, quæ aliquam ex his particulis vel similibus, in quantum, quatenus, quia, ut, &c. sibi annexas habent, ut, *leo quia leo rugit, quia animal sentit, quia vivens vegetat*. Quæ propositiones significant causam alicujus rei esse rationem formalem supra quam reduplicant, & communiter denotant causam vel rationem cur prædicatum conveniat subiecto, ut *paries in quantum albus disgregat visum*, licet subinde reduplicetur sola conditio, ut, *ignis ut approximatus calefacit*, cum tamen approximatio non sit causa calefactionis. Aliquando reduplicatur ratio sub qua, ut, *actus intellectus in quantum dirigibiles, sunt subiectum Logica*. Dicuntur autem hæc particulae aliquando sumi reduplicativè, aliquando specificativè, unde hæc propositio, *homo in quantum rationalis sentit*, si sumatur reduplicativè est falsa, denotat enim rationem formalem sentiendi in homine esse rationalitatem formaliter, quod est falsum, nam ratio formalis sentiendi in homine est animal, rationale autem est ratio formalis discurrendi, seu intelligendi. Si autem in illa propositione, ly in quantum sumatur specificativè, ita ut sensus sit, *homo qui est rationalis, sentit, est vera propositio*.

## SECTIO IX.

## De Reflexivis &amp; falsificantibus.

**R**eflexivæ sunt quæ supra se reflectunt, aliquid de seipsis affirmando vel negando, si autem de se affirmant quod sunt falsæ, vel negent quod sunt veræ, falsificantes appellantur. Hæc sua difficultate ita nonnullorum Dialecticorum, & in particulari Sotitorum ingenium, ut difficultati succumbens, tandem sic statuat, *omnibus (inquit) pensatis concedendum est duas contradictorias esse simul falsas*: quo ait Lemoitius de erratis Dialecticorum, c. 22. nihil in omni doctrinarum genere reperiri potest absurdius: Hoc enim concessio, perit metaphysicum illud oraculum cui tota innititur ars syllogistica, *Impossibile est idem simul esse & non esse*.

De his ergo est prima difficultas, an sint veræ an falsæ. Exem. g. propositio quæ de se dicat *Ego sum falsa*, si est falsa, est vera, nam affirmat se esse falsam, ergo verum affirmat, ergo est vera, ergo est falsa, nam si non est falsa, non dicit verum dum se asserit esse falsam, ergo hoc ipso est falsa, ergo tandem est simul vera & falsa, quod implicat, veritas enim consistit in indivisibili. Resp. propositionem illam & similes simpliciter esse falsas, quia non solum de se affirmant falsitatem, sed etiam veritatem, ac proinde sunt falsæ: nam ut propositio aliqua sit vera, necesse est quicquid affirmat, sit verum, & omnino conformari debet suo objecto, non ex parte tantum. Unde, ut in confesso est apud omnes, hæc propositio, *omnis homo currit*, est falsa si vel unus Petrus v. g. non currat, licet cæteri omnes currant, cum tamen conforme sit majori parti objecti, ut constat. Et ratio est quia, *Bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu*: veritas autem est de genere boni, falsitas de genere mali, ergo. Ad hoc tamen melius percipiendum.

Notandum ex P. Suar. To. I. Met. d. 8. s. 5. n. 18. omnem propositionem, dum in actu signato affirmat, vel negat aliquid de objecto, in actu exercito & implicite de se statuere veritatem, & affirmare se esse veram. Unde propositio quæ dicit, *Petrus est homo*, implicite dicit & hoc est verum, seu, *Ego sum vera*, sicque ut ait S. Thomas, hæc propositio, *In veritate sanctus Petrus disputat*, nihil addit supra hanc, *Petrus disputat*, Thomas. & hæc, *Petrus est homo est vera propositio* si sumatur formaliter, nihil aliud dicit quam *Petrus est homo*. Unde cum hæc propositiones simul de se affirmant falsitatem & veritatem, illam explicite, hanc implicite, & nulla propositio simul vera & falsa esse possit (nam vel est adæquatè conformis suo subiecto, & est vera; vel non est conformis adæquatè, & est falsa) erunt simpliciter falsæ.

Dices, ergo omnis propositio negativa est affirmativa, nam dicit & affirmat se esse veram, ergo non possunt sibi opponi propositio affirmativa & negativa, cum omnis negativa sit simul affirmativa. Resp. concessis cæteris, negando consequentiam, nam virtualis illa seu implicita, & quasi transcendentalis affirmatio non obstat perfectæ oppositioni, sicut nec obstat perfectæ oppositioni actus amoris & odii, quod odium sit virtualiter & implicite amor, saltem alicujus boni in communi, ut aliqui dicunt, ideo enim elicimus actum odii quia aliquid boni saltem apparentis per illum actum nobis accidere arbitramur, ita nec implicita affirmatio impedit quominus perfectè sit propositio negativa, & alteri perfectè opponi possit.

Secunda ergo difficultas est, an hujusmodi propositiones possint habere contradictorias. Resp. possibile. Unde



*Falsifican-  
tes possunt  
habere con-  
tradictorias.*

se, unde si scribatur in aliqua charta hæc propositio, *Petrus est lapis*, & subscribatur deinde hæc, *omnis propositio hic scripta, est falsa*, secunda propositio est falsa, quia explicitè dicit omnem propositionem ibi scriptam, & consequenter seipsam esse falsam, & implicitè affirmat se esse veram, ut supra diximus. Contradictoria verò hujus variè à variis assignatur: mihi hæc placet, *non omnis propositio hic scripta est falsa*, & hæc simul verà; id est, hæc duo non conjunguntur, nempe ut omnis propositio hic scripta sit falsa, & tamen secunda propositio ibi scripta vera. Hujusmodi propositiones sunt hæc & similes, *ego juro me non jurare*, *ego sum mutus qui loquitur*, & si prima propositio quam quis proferat, sit hæc, *ego mentior*.

Propositiones autem de pactis non debent ingredi ipsa pacta, sed ex natura rei intelliguntur excipi; alioquin essent pacta & non pacta, vel voce essent, re non essent. Unde huc reducendum est pactum illud Protagoræ, Rhetoris & Evathli ejus discipuli, ut pro primâ causâ quam vinceret, solveret Protagoras centum nummos. Idem etiam est de hac, si quis dicat Petro, *Deus tibi dabit librum si prima propositio quam proferas, fuerit vera*, & Petrus statim hanc primò proferat, *Deus non dabit mihi librum*; nisi intelligatur ex pacto excepta illa propositio, pactum est nullum, & ipso irrita & impossibilis, cum nec à Deo impleri possit. Sed de his satis.

VI.  
Propositio-  
nes de pa-  
ctis.

Protagoras  
& evath-  
lus.

## DISPUTATIO VII.

*De Argumentatione seu forma Syllogismi.*

## SECTIO PRIMA.

*Regula quedam pro Argumentatione in communi.*

I.  
*Quid sit  
Argumenta-  
tio.*

Ad argu-  
mentatio-  
nem tria re-  
quiruntur.

Non negan-  
dum conse-  
quens, sed  
consequen-  
tia.

II.

III.  
*Consequen-  
tia mate-  
rialis, &  
formalis.*

**A**rgumentatio est oratio in qua unum ex alio infertur, ut, *omnis homo est animal, Petrus est homo, ergo Petrus est animal*: ubi ex eo quod omnis homo sit animal, & Petrus sit homo, infertur Petrus esse animal. Unde ad argumentationem tria ad minimum requiruntur, id quod ex alio infertur, & dicitur consequens, id ex quo infertur, & dicitur antecedens, & nota illationis, particula nimirum *ergo*. Illatio verò est consecutio unius ex alio, & consequentia dicitur, in qua consistit præcipua ratio argumentationis, diciturque bona vel mala, non vera vel falsa. Si autem non adsit hæc nota illationis, nempe *ergo*, nulla est argumentatio, ut si quis dicat, *omnis homo est animal, Petrus est animal*, quia deest *ergo*. Nunquam ergo negari debet consequens, sed consequentia, seu consecutio unius ex alio, licet distinguatur consequens cum sensum facit ambiguum. Hæc illatio seu consequentia triplex est, primâ conditionalis, cujus nota est particula *si*, ut, *si sol lucet, dies est*. Secunda causalis, cujus nota est particula *quia*, ut, *quia sol lucet, dies est*. Tertia, quæ est propriissima, rationalis cujus nota est particula *ergo* vel *igitur*, ut, *sol lucet, ergo dies est*.

Argumentatio dupliciter manifestat ignotum, causaliter in antecedente seu præmissis quæ sunt causa consequentis, & formaliter in consequente, quod est formalis manifestatio connexionis extremitatum inter se, latentis in antecedente seu præmissis, ut cum dico, *omne rationale est risibile, sed omnis homo est rationalis, ergo omnis homo est risibilis*, consequens formaliter explicat connexionem risibilitatis cum homine, quæ latebat in antecedente.

Consequentia duplex est, *materialis*, & *formalis*: hæc, quæ solum propriè dici potest consequentia, est quando propter dispositionem terminorum in quacumque materiâ sequitur consequentia: quod fit in solo syllogismo. *Materialis* est, quando sequitur consequentia solum ex vi materiæ, sicut contingit in Enthymemate, ut, *Petrus currit, ergo movetur*, sequitur quidem, sed non ex vi formæ seu dispositionis terminorum, nam eodem modo possent disponi termini, & tamen non sequi consequentia, ut *leo currit, ergo rugit*, quod in syllogismo nunquam potest contingere. Hoc aliis verbis vocant aliqui argumentationem materialem & formalem. Unde non dividitur rectè à nonnullis argumentatio in *syllogismum*, *enthymema*, *exemplum*, *dilemma*, & *inductionem*,

nam tria ultima reducuntur ad enthymema, & enthymema ad syllogismum, in enthymemate enim semper intelligitur alia propositio, ac propterea dicitur syllogismus truncatus: unde simpliciter solus syllogismus est argumentatio.

Hic aliqua noranda: primum, non sufficere ut bona sit argumentatio quod propositiones sint veræ, sed ulterius requiritur unam ex alia vel aliis sequi: unde hæc non est bona argumentatio, *omnis homo est animal, omnis leo est rugibilis, ergo omnis equus est hinnibilis*, licet omnes propositiones sint veræ, ultima enim seu conclusio non sequitur ex aliis.

Secundum est, *ex vero non sequi nisi verum*, implicat enim veram esse connexionem duarum rerum cum una tertia, seu cum medio, quin connectantur verè inter se: unde ex præmissis veris nunquam sequitur consequens falsum.

Tertium, ex falsis tamen proveris admissis, sequi potest verum, ut, *omnis lapis est animal, Petrus est lapis, ergo Petrus est animal*; præmissis namque concessis, necessariò sequitur consequens, nunquam enim simpliciter & realiter id contingit, sed solum ex suppositione quod concedantur præmissæ.

Quintò, requiri ad argumentationem perfectam ad minimum tres terminos. Ratio est, quia ideo aliqua duo uniantur seu identificantur inter se in consequente, quia erant unita seu identificata cum aliquo tertio in præmissis, ut in hoc syllogismo, *omnis homo est animal, Petrus est homo, ergo Petrus est animal*, ideo unitur seu denotatur identificatus Petrus cum animali in consequente, quia Petrus & animal uniebantur seu significabantur identificata alicui tertio, nempe homini in præmissis: innititur enim ars syllogistica magna ex parte illi principio metaphysico, *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*: id est, cum duo sunt idem realiter cum aliquo alio, sunt necessariò idem realiter inter se: exem. g. si intellectus sit eadem realiter res cum animâ, & voluntas eadem se realiter res cum eadem animâ, necessariò intellectus & voluntas sunt eadem realiter res inter se; & è contra, illa non sunt eadem inter se quæ non sunt eadem uni tertio: unum autem illud tertium cui extrema in præmissis uniantur, vocatur *medium*.

Quintum est, requiri ad bonam argumentationem nec plures esse nec pauciores terminos quam tres: non pauciores, quia, ut diximus, duo termini inferuntur in conclusione inter se esse identificati, quia identificantur cum alio aliquo termino invento in utraque præmissâ, seu cum medio, esse ergo necessariò debet tertius ille terminus, cui illi duo in conclusione positi uniantur in præmissis. Nec etiam esse

Enthymema  
syllogismus  
truncatus.

IV.

V.  
Ex vero non  
sequitur nisi  
verum.

VI.

Ex falsis pro  
veris admissis  
sequitur  
verum.

VII.

Ad argu-  
mentatio-  
nem requi-  
runtur tres  
termini.

Quæ sunt  
eadem uni  
tertio sunt  
eadem inter  
se.

VIII.

Non plures  
in argumen-  
tatione ter-  
mini quam  
tres.



esse debent plures, sic enim ex vi formæ nihil concluderetur, nam ex vi formæ tunc solum concluditur cum duo termini inter se in conclusione uniantur identicè, quia identificantur cum alio in præmissis.

IX.  
Ex puris  
negativis  
nihil con-  
cluditur.

Ex his etiam in communi opinione infertur, ex puris negativis nihil posse concludi ex vi formæ, ut, *homo non est rugibilis, leo non est homo, ergo leo non est rugibilis*. Ratio est, quia sicut ut aliqua duo uniantur in consequente, requiritur ut uniantur cum alio tertio in antecedente, ita ut unum de alio negetur in consequente, cursus v. g. de equo, illud debet in præmissis negari de aliquo tertio cum quo aliud identificatur, ut in hoc syllogismo in Ferio, *nullus homo est lapis, aliqua substantia est homo, ergo aliqua substantia non est lapis*, ubi in consequenti negatur lapis de aliqua substantia, quia negatur in præmissis de homine, cum quo aliqua substantia dicebatur identificata.

## SECTIO II.

### Quadam alia de argumentatione & syllogismo.

I.  
Dici de  
omni: Dici  
de nullo.

Primo notandum, quæ potissimum sint principia quibus innitur ars syllogistica, de qua re aliquid diximus sec. præcedenti, coroll. quarto. Primum itaque est principium illud logicum quod ponit Aristoteles in primo Prior. c. i. *Dici de omni: dici de nullo*, id est, quod prædicatur affirmativè de conceptu communi universaliter & completè, seu adæquatè sumpto, dicitur de omni inferiori contento sub illo, ut animal v. g. quia dicitur de homine completè distributo, dicitur etiam de Petro, Paulo, & cæteris omnibus contentis sub homine: item quidquid negatur de ratione aliquâ communi universaliter & adæquatè sumptâ, negatur etiam de omni inferiori sub illâ contento, ut quia de animali distributivè sumpto negatur quoddam sit insensibile, negatur de leone, equo, & cæteris sub animali contentis.

II.  
Secundum  
principium.

Aliud principium est illud supra relatum, nempe, *quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*, quod sec. præcedenti, n. 7. declaravimus, & respondet illi principio *dici de omni*, quorum utrumque deservit conclusionibus affirmativis. Illud tamen tertium, seu medium si non sit incommunicabile (sicut contingit in syllogismo expositorio) debet completè sumi, seu adæquatè distribui in aliqua ex præmissis; defectu cuius hæc non valet, *Petrus est animal, Paulus est animal, ergo Petrus est Paulus*: neque hæc, *Essentia Divina est Pater, Essentia Divina est Filius, ergo Pater est Filius*. Si tamen medium distribueretur, bene inferretur conclusio, concessis præmissis. v. g. *quicquid est Essentia Divina, est Pater, quicquid est Essentia Divina, est Filius, ergo Filius est Pater*, consequens est falsum, sed bene deducitur ex præmissis illis falsis, si admittantur.

III.  
Tertium  
principium  
pro conclusi-  
onibus  
negativis.

Tertium principium est correspondens illi *dici de nullo*, & est pro conclusionibus negativis, nempe quæcumque duo ita se habent ut unum eorum sit idem cum tertio, & non aliud, illa inter se non sunt idem, sed diversa, ut, *nullum animal est lapis, omnis leo est animal, ergo nullus leo est lapis*, ubi leo & lapis in conclusione distinguuntur, vel inferuntur esse diversi, quia leo est idem cum tertio, seu medio termino, nempe animali, cum quo tamen lapis non est idem. Quod sic ulterius declarari potest, cum enim medius terminus sit quasi vinculum quo uniri debeant extrema, si non competat illis in præmissis illud vinculum, non possunt ex vi connexionis cum illo in præmissis connecti inter se in conclusione, ac proinde ex vi præmissarum non inferuntur conclusio, quæ nihil aliud est quam connectio extremorum inter se,

propositione expressa. Medium autem debet vel esse incommunicabile, vel adæquatè sumi & distribui, ut in præcedentibus diximus, defectu cuius hi sunt syllogismi vitiosi, *Petrus est homo, Paulus non est Petrus, ergo Paulus non est homo: Pater est Essentia Divina, Filius non est Pater, ergo Filius non est Essentia Divina*. Ratio autem falsitatis utriusque conclusionis est, quia homo non adæquatè identificatur cum Petro, sicut nec Essentia Divina cum Patre, nec distribuuntur illi termini in præmissis, sic enim dici deberet, *Petrus est quicquid est homo, Paulus non est Petrus, ergo Paulus non est homo: quicquid est essentia Divina, est Pater, Filius non est Pater, ergo Filius non est Essentia Divina*, bene sequeretur in utroque concessis præmissis, sed major utrobique est falsa.

Medium ergo debet esse idem in utraque præmissa, & non esse æquivocum; item distribui debet in unâ saltem præmissa; unde hæc argumentatio non valet, *Quod ego sum, tu non es, sed ego sum homo, ergo tu non es homo*. neque hæc, *aliquid animal est leo, sed Petrus est aliquid animal, ergo Petrus est leo*: ac proinde ex puris etiam particularibus nihil concluditur, quia medium in neutrà præmissâ distribuitur, atque adeo sumi potest pro diversis, sicque non habebit rationem unius vinculi unientis extrema in præmissis.

Quod sic ulterius declaratur, terminus enim particularis cum sit indifferens ad supponendum pro hoc vel illo individuo, poterit in unâ propositione supponere pro uno, in aliâ pro alio, sicque syllogismus nihil concludet, cum in re sint quatuor termini, licet voce sint tantum tres, medium enim non est idem in utraque præmissa. Si tamen aliquo signo determinaretur ille terminus particularis, ut supponeret utrobique pro eodem, non est cur non concludatur syllogismus, sed tunc non est terminus purè particularis in utraque præmissa, ut, *aliquis equus currit, sed hic aliquis equus est albus, ergo aliquid album currit*. Unde ex puris singularibus confici potest syllogismus, qui expositivus dicitur, ut, *hic homo currit, Petrus est hic homo, ergo Petrus currit*. Nec medium tantum, sed etiam extrema debent manere eadem in præmissis & conclusione, & servare easdem proprietates logicales, Appellationem, suppositionem &c. Aliter ergo saltem ex præmissis debet esse universalis, ut sic distribuat medium, non utraque particularis.

Præterea notandum, esse contra artem syllogisticam, ut medium ponatur in conclusione, sed in eâ sola debet collocari extrema, nisi aliquando, ad evitandum defectum syllogismi, id esset necessarium, ut in hoc syllogismo, *omne currens essentialiter movetur, sed Petrus currit, male quis inferret, ergo Petrus essentialiter movetur*, nisi addat, in quantum currens, quod erat medius terminus, Conclusio etiam dicitur sequi debiliorem partem, id est, debet esse negativa si altera ex præmissis fuerit negativa, & particularis si altera præmissarum fuerit particularis. Unde male quis argueret, *omne quod currit, movetur, aliquis homo currit, ergo omnis homo movetur*. Ratio est, quia homo affirmatur de medio termino tantum particulariter, unde eodem modo affirmari debet de altero extremo, eo enim modo ex vi formæ, seu unionis cum medio applicatur alteri termino, quo applicatur medio, cum ex vi affirmationis de medio, affirmetur de extremo: si verò negetur de medio, debet etiam negari de extremo, & si particulariter affirmetur de medio, non potest, ex vi illius affirmationis & connexionis particularis cum illo, affirmari nisi particulariter de alio extremo. Hoc eodem recidit cum eo quod dicunt alij non debere aliquam extremitatem seu terminum distribui in conclusione, qui non fuit distributus in præmissis. Ex utraque ergo præmissa universalis

Medium  
incommu-  
nicabile  
vel incom-  
municabile  
esse debet,  
vel adæ-  
quatè dis-  
tribui.

IV.

Ex puris  
particulari-  
bus nihil  
concluditur.

V.  
Huius ratio  
redditur.

Extrema  
servare de-  
bent pro-  
prietates  
logicales.

VI.  
Medium  
poni non de-  
bet in con-  
clusionem.  
Nisi in ra-  
tione id  
sit necessa-  
rium.  
Conclusio  
sequitur  
debiliorem  
partem.

Redditur  
ratio  
huius  
ratio.



Ex universa-  
libus se-  
quitur con-  
clusio uni-  
versalis.

## VII.

Ex positione  
antecedentis  
recte argui-  
tur ad posi-  
tionem con-  
sequentis.  
Et à nega-  
tione on-  
sequentis  
ad nega-  
tionem an-  
tecedentis.

## VIII.

Definitio  
syllogismi.

universali inferitur conclusio universalis, qualis enim fuerit connexio extremorum cum medio, ut jam diximus, talis erit eorum connexio inter se.

Duplex hic proponi solet modus argumentandi: primus, valere à positione antecedentis ad positionem consequentis, vel illius etiam quod sequitur ex consequente, ut, *Petrus est homo, ergo animal, vivens, corpus, substantia, ens &c.* & à negatione consequentis ad negationem antecedentis, est enim necessaria inter ea connexio, ut, *Petrus non est animal, ergo non est homo.*

Hinc tandem inferitur definitio syllogismi ab Aristotele tradita primo Prior. c. I. *Syllogismus*, inquit, seu ratiocinatio est ratio in qua, quibusdam positus, aliud quippiam ab his qua posita sunt, necessario accidit, eo quod hoc sint. Quod brevius alijs verbis sic dici potest, *syllogismus est modus sciendi, in quo, quibusdam positus, aliud sequi necesse est*: per illam particulam quibusdam positus denotatur propositiones antecedentes, quæ præmissæ vocantur, debere plures esse quam unam, ut formalis sit consequentia, nam una sola non sufficit ad legitimam illationem, nisi sit virtualiter duplex, ut dicam in Logica d. 47. sec. 2. n. 3.

## SECTIO III.

## De materiâ, formâ, &amp; figura syllogistica.

I. Materia  
syllogismi  
duplex,  
ex qua, &  
circa quam.

Termini  
sunt mate-  
ria remota  
syllogismi.

II. Major,  
Minor,  
Conclusio.

Medius ter-  
minus in  
propositione  
negativa.

III. Quid sit  
forma syl-  
logistica.

## IV.

Figura syl-  
logismi  
triplex.

**M**ateria syllogismorum duplex est, circa quam & ex qua. Materia circa quam syllogismorum est immensa, cum de quavis re discurrere possimus, qua de causâ Aristoteles exempla omnium propè syllogismorum formavit in litteris, ut, *omne A, est B, omne C est A, ergo omne C est B*, & sic de cæteris. Materia ex qua illa dicitur, ex qua efficiuntur syllogismi: hæc porro duplex est, proxima, nempe propositiones, & remota, nempe termini, ex quibus propositiones constant. Dicuntur autem termini materia seu partes remotæ syllogismorum, quia prius componunt propositiones, ex quibus deinde immediate efficiuntur syllogismi.

Propositiones autem ex quibus constant syllogismi, sunt tres, *major, minor, & Conclusio*. Termini item, ut diximus, tantum possunt esse tres, cum enim nullus terminus poni debeat in conclusione, qui non fuerit positus in præmissis, & in præmissis unus terminus, qui medium dicitur, bis repeti debeat, manifestum est tantum posse esse tres; *Major extremitas* dici solet ille terminus, qui unitur cum medio termino in primâ propositione, terminus verò qui cum eodem medio unitur in minori, dicitur *minor extremitas*. Medius autem terminus sic vocatur, quod sit vinculum quo duo extrema connectuntur, unde licet medius terminus sit alterum extremum in utraque præmissâ, est tamen medium comparatione duorum terminorum, qui in illo junguntur. In propositione autem negativâ dicitur *medium removens* seu *medium remotivum*, vel indicans duo non connecti inter se, quia non connectuntur cum illo.

Forma syllogistica est apta dispositio terminorum & propositionum ad concludendum, & est forma quædam artificialis respectu propositionum & terminorum inter se certo ordine dispositorum; sicut dispositio partium domus aut navis est forma illarum artificialis.

Figura, quæ parum à syllogismi formâ discrepat, est congrua dispositio medij cum extremitatibus in præmissis, in subiectione, & prædicatione, ad aliquid apte concludendum.

Hæc figura triplex assignatur ab Aristotele primo Prior. Prima, quando medium in majori est subiectum, & prædicatum in minori; ut, *omnis homo est*

*animal, Petrus est homo, ergo Petrus est animal*. Secunda, in qua medium in utraque præmissâ est prædicatum, ut, *nullus lapis est homo, Petrus est homo, ergo Petrus non est lapis*. Tertia, quando medium in utraque præmissâ est subiectum, ut, *omnis homo est animal, omnis homo est risibilis, ergo aliquod animal est risibile*. Ad quarum diversas rationes memoriâ melius retinendas deservit hoc carmen Dialecticum:

Sub præ prima, bis præ secunda, tertia bis sub:

quarta enim figura, quæ Galeni dicitur, in qua medius terminus est prædicatum in majori, & subiectum in minori, ut, *aliquis homo est animal, omne animal est sensibile, ergo aliquis homo est sensibilis*, in re non differt à primâ figura, sed solum habet pro majori eam propositionem quam alia habet pro minori, sicque invertuntur tantum præmissæ, qua fortasse de causa de illa Aristoteles mentionem non fecit.

Modus denique est debita dispositio propositionum in quantitate & qualitate, quo nimirum loco statuuntur propositiones universales, quo particulares, quo affirmativæ, quo negativæ. Modi autem præcipui novendecim numerantur, alij enim qui confici possent, vel non adeo utiles sunt, vel ad hos reduci possunt. Hi verò modi ut memoriâ facilius inhæcant, quatuor sequentia carmina panxerunt Dialectici. Quæ ut melius intelligantur, attendendum est ad quantitatem & qualitatem quatuor illarum litterarum A, E, I, O. quas supra disp. præcedente, l. 4. explicuimus. Carmina sunt hæc,

*Barbara, Celarent, Darij, Ferio, Baralipton,*

*Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum,*

*Cesare, Camestres, Festino, Baroco, Darapti,*

*Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.*

Singulæ syllabæ singulas significant propositiones: Prima majorem, secunda minorem, tertia conclusionem: ultima verò syllaba in Baralipton, & postremæ duæ in Frisesomorum carmini servant, non syllogismo. Primum ergo verbum, seu *Barbara* denotat syllogismum compactum esse ex tribus propositionibus universalibus. Secundum seu *Celarent* significat Majorem debere esse universalem negativam, minorem universalem affirmativam, conclusionem universalem negativam, & sic de cæteris. Novem primi modi sunt in primâ figura: quatuor priores modi positi in tertio carmine sunt secundæ figuræ: Quintus in tertio carmine & alij quinque ultimi carminis sunt tertiæ figuræ.

Dices, posse optimè concludi ex majori universali affirmativâ, & minori singulari affirmativâ, ut, *Dubium omnis homo est animal, Petrus est homo, ergo Petrus est animal*, imo hic frequentissimus videtur in scholis argumentandi modus, ergo datur alius modus perfectus in primâ figurâ præter quatuor, sicque erunt quinque; sola enim diversitas quantitatis in alterâ propositione sufficit ad variandum modum, ut constat in *Barbara & Darij*, ergo assignari debet alius modus in primâ figurâ à Darij distinctus, singularis enim quantitas est distincta à particulari, ut supra diximus.

Resp. hoc argumento convinci, posse addi alium modum directè concludentem in primâ figurâ, ex majori universali, & minori singulari, omisus tamen est ab Aristotele, quia revocari potest ad Darij, concludens vel in eo directè collocari, Propositio enim particularis accipi potest negativè, ut sit eadem ac non universalis, non enim sunt multiplicandi tot modi, præsertim cum sint admodum similes, deessent enim vocales ad tot diversos modos ostendendos.

Ex his perfecti solum censentur quatuor illi primi modi in primâ figurâ *Barbara, Celarent, Darij, Ferio*; reliqui verò imperfecti, hoc est, non ita coordinati, ut ex ipsâ terminorum & propositionum dispositione

Figura  
Galeni aut  
differt à  
prima.

V.  
Modus syl-  
logismorum  
quid sit.  
Modi no-  
vendecim.

VI.  
Quid hæc  
verba de-  
notent.

VII.  
Addi potest  
quintus mo-  
dus directè  
concludens  
in prima  
figura.

VIII.  
Quam ex  
his modis  
sint perfecti  
qui imper-  
fecti.

IX.  
Quam ex  
his modis  
sint perfecti  
qui imper-  
fecti.



positione statim appareat bonitas consequentiae, seu evidentia conclusionis, quod tamen in primis quatuor contingit. Unde reliqui cum aliquanto obscurius denotent illationem seu bonitatem consequentiae, ad aliquem ex quatuor illis primis reduci solent, ut veritas in ijs contenta clarius innotescat.

X. *Quid sit concludere directe, vel indirecte.*  
Ex his modis aliqui vocantur directi, & dicuntur directe concludere, alij indirecti, & concludere indirecte. Directe concludunt illi in quibus in conclusione praedicatur major extremitas, & subicitur minor, seu quod idem est, terminus, qui erat in majori conjunctus medio termino, praedicatur, & qui erat cum eo conjunctus in minori subicitur: Ex: g. *omnis color est visibilis, albedo est color, ergo albedo est visibilis.* E contra indirecte concludere dicuntur illi in quibus vice versa minor extremitas seu terminus in minori repertus praedicatur, & major extremitas seu terminus repertus in majori subicitur, ut, *omne animal est vivens, omnis leo est animal, ergo aliquod vivens est leo,* haec est indirecta conclusio in *Baralipon*; directa autem esset haec, *ergo omnis leo est vivens*, quae est conclusio syllogismi in *Barbara*. In hoc enim differunt, quinque postremi modi primae figurae à quatuor primis ejusdem, quod hi concludant directe, illi indirecte.

## SECTIO IV.

## De Reductione Syllogismorum.

I. *Syllogismi reliqui reducuntur ad unum ex quatuor primis.*  
Cum syllogismi imperfecti, quales ut diximus censentur omnes, praeter quatuor primos modos primae figurae, non ita sint evidentes & perspicui, reduci solent ad aliquem ex quatuor illis primis modis, ut si quis consequentiam negaverit, dum reducuntur ad unum ex his claritate convictus fateatur quod antea negabat. Haec autem reductio quo pacto fiat, nunc ostendendum.

II. *Reductio syllogismorum duplex, ostensiva, & per impossibile.* Pro his intelligendis nota primò, quatuor modos perfectos ab his quatuor literis iachuari, B, C, D, F. quilibet ergo modus ex imperfectis ad eum perfectum reduci debet, qui ab eadem cum eà littera incipiat, ut si à B, ad *Barbara*, si à C, ad *Celarent*. Secundo notandum, in verbis illis in carminibus positus non solum habendam rationem vocalium A, E, I, O, sed etiam harum quatuor consonantium, S, P, M, C. Videndum enim quae harum in medio cuiusque dictionis reperitur, ex eo enim colligitur quo pacto modus ille sit reducendus: si enim dictio habuerit C in medio, ut *Baroco, Bocardo*, significatur converti solum posse modum illum per impossibile: S. denotat propositionem significatam per vocalem proximè praecedentem converti debere simpliciter, mutato scilicet subiecto in praedicatum, & praedicato in subiectum, manente tamen eadem quantitate & qualitate, ut in *Cesare* major convertenda est simpliciter, in *Camestres* minor & conclusio, quia in hoc verbo S sequitur duas posteriores syllabas, P. significat propositionem designatam per vocalem immemiatè praecedentem converti debere per accidens, mutata nimirum quantitate, sicut *Darapti* minor debet ex universali fieri particularis, mutato subiecto in praedicatum, & praedicato in subiectum. M. ubique reperitur, denotat transponendas esse praemissas, ita ut major fiat minor, & minor vicissim major. Has regulas memoriae gratia congesterunt Dialectici in haec carmina.

III. *Exempla syllogismorum.*  
Simpliciter verti vult S. P. vero per accidens: M vult transponi, C per impossibile duci. Exemplis res fiet clarior, quare pro singulis hic unum vel alterum subiiciemus. *Cesare* ergo reducitur. R. P. Th. Comptoni Philofofia.

tur ad *Celarent*, homo modo,

CE Nullus lapis est animal.

*Cesare.* SA Omnis homo est animal, ergo

RE Nullus homo est lapis.

Littera C de notat hunc syllogismum reducendum ad *Celarent*, quod hoc modo fit: major ob litteram S, quae immediatè sequitur primam syllabam, converti debet simpliciter, ab universali negativà in affirmativam negativam mutato praedicato in subiectum, & subiecto in praedicatum, ut, *nullus lapis est animal; nullum animal est lapis*, & fit ex *Cesare* *Celarent* hac ratione,

CE Nullum animal est lapis;

*Celarent.* LA Omnis homo est animal, ergo

RENT, Nullus homo est lapis.

*Darapti* reducitur ad *Daraj*, hoc modo,

DA Omnis homo est animal,

*Darapti.* RAP Omnis homo est risibilis, ergo

TI Aliquod risibile est animal.

Littera D significat reduci debere ad *Daraj*, P. minorem convertendam per accidens, mutata scilicet universalis affirmativà in particularem affirmativam, subiecto mutato in praedicatum, & praedicato in subiectum, hoc modo,

DA Omnis homo est animal,

*Daraj.* RI Aliquod risibile est homo, ergo

I. Aliquod risibile est animal.

*Camestres* ita reducitur ad *Celarent*,

CA Omnis leo est animal,

*Camestres.* MES Nullus lapis est animal, ergo

TRES. Nullus lapis est leo.

Littera C. denotat reduci debere ad *Celarent*, S. post duas ultimas vocales significat minorem & conclusionem convertendas esse simpliciter, ita ut praedicatum fiat subiectum, & subiectum praedicatum, manente eadem quantitate & qualitate, & M significat transponendas esse praemissas, ut major fiat minor, & minor major, hac ratione,

CE Nullum animal est lapis,

*Celarent.* LA Omnis leo est animal, ergo

RENT. Nullus leo est lapis.

In *Fapesmo* cum haec tres litterae reperiantur P. S. & M.

ut reducatur ad *Ferio* à cuius littera incipit, primò, ob ut reducatur ad *Ferio* à cuius littera incipit, primò, ob M. debent praemissae transponi, ac major fieri minor, & è contra, ob P. prima propositio debet converti per accidens, mutata scilicet quantitate, & praedicato facto subiecto, ac subiecto praedicato, deinde secunda propositio ob S. debet converti simpliciter, ut in his exemplis.

FA Omnis equus est hinnibilis,

*Fapesmo.* PES Nullus homo est equus, ergo

MO. Aliquod hinnibile est homo,

Sic reducitur ad *Ferio*

FE Nullus equus est homo,

RI Aliquod hinnibile est equus, ergo

O. Aliquod hinnibile non est homo.

Dices, littera P. non rectè constituitur post tertiam syllabam in *Baralipon*, nam significat propositionem significatam per litteram immediatè praecedentem converti debere per accidens, quod tamen est contra regulas supra assignatas, nam I. indicat propositionem particularem convertendam esse simpliciter, juxta illud *simpliciter feci*. Resp. propositionem particularem absolute sumptam regulariter non posse converti nisi simpliciter, si verò sumatur ut facta ex conversione propositionis universalis in illam antea per accidens conversae, sic per accidens etiam poterit iterum converti in eandem universalem. Conclusio autem in *Baralipon* nihil aliud est quàm indirecta conclusio in *Barbara*, conversa per accidens ex universali affirmativà in particularem affirmativam, ut in *Barbara*,

C

Barbara,

rum, qui ad alios reducuntur.

*Cesare* re-ducitur ad *Celarent*.

VI.

*Darapti* reducitur ad *Daraj*.

V.

*Camestres* reducitur ad *Celarent*.

VI.

*Fapesmo* reducitur ad *Ferio*.

Satis fit cuidam difficultati circa *Baralipon*.



BAR Omnis homo est animal,  
Barbara. BA Omne rationale est homo, ergo  
RA Omne rationale est animal.

In Baraliphton.

BA Omnis homo est animal.  
Baraliphton. RA Omne rationale est homo, ergo  
LIPTON. Aliquod animal est rationale.

Conclusio  
in Barbara  
& Barali-  
pton.

Ubi conclusio posterioris non est alia quam indire-  
cta conclusio prioris conversa per accidens. Pote-  
rit ergo iterum reduci per accidens ad Materiam  
conversam, & dici, ergo omne rationale est animal. Quod  
tamen nisi in hoc particulari casu à Dialecticis non  
admittitur.

Hæc de Reductione Ostensiva syllogismorum,  
quæ nihil aliud est quam reductio per conversio-  
nem aut transpositionem præmissarum, ut vidi-  
mus.

### VIII.

Quid sit  
reductio per  
impossibile.

Reductio per impossibile est, cum ita reducitur  
imperfectus syllogismus ad perfectum, ut qui con-  
clusionem imperfecti negaverit, cogatur admittere  
duo contradictoria vel contraria simul vera. Ex op-  
posito enim conclusionis quod concedit respon-  
dens, & unâ præmissâ antea concessâ, cogetur ad-  
mittere conclusionem contradicentem alteri ex præ-  
missis prius concessis, & propterea vocatur reductio  
per Impossibile, quia est impossibile rem simul esse &  
non esse, ac proinde etiam repugnabit simul affir-  
mari & negari.

### IX.

Quatuor  
primi modi  
prima figura  
ob claritate  
reduci non  
possunt.

Hæc Reductio non est pro quatuor primis per-  
fectis modis primæ figuræ, hi enim sunt in Logicâ  
prima principia, nec si negentur, probari possunt à  
priori nisi per principia illa prima Metaphysicæ quæ  
sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se. Ratio est, quia  
omnis conclusio in alijs modis perfectis est minus  
clara quam in his quatuor, ergo frustra per illos  
probabuntur, qui enim perfectos & claros negave-  
rit, facile negabit imperfectos & obscuriores.

### X.

Notandum  
circa redu-  
ctionem per  
impossibile.

Pro reducendis ergo modis imperfectis primæ  
figuræ, id observandum, ut pro maiore assumatur  
contradictoria propositionis negatæ, pro minori po-  
natur maior prioris syllogismi, sicque pro conclu-  
sione inferetur oppositam minoris prius concessæ,  
atque ita efficietur ut idem simul neget & affirmet.  
Exem. g. hic syllogismus in Baraliphton:

BA Omne animal est vivens,

Baraliphton. RA Omnis homo est animal, ergo  
LIPTON. Aliquod vivens est homo.

Sic reducitur ad Celarent,

CE Nullum vivens est homo,

Celarent. LA Omne animal est vivens, ergo  
RENT. Nullum animal est homo.

En oppositum minoris concessæ inducitur in con-  
clusionem, nec maiorem negare potest respondens,  
quia est contradictoria conclusionis, quam antea  
negavit, nam si illam neget, concedet duas contra-  
dictorias esse simul falsas, minor etiam est eadem  
cum maiore prioris syllogismi, & ibi concessa, ergo  
nihil negari poterit, sicque apertè convincitur  
respondens.

### XI.

Quomodo  
reducatur  
per impossibi-  
le Celantes.

In Celantes non servatur directè hic ordo, nam  
reducitur per impossibile sumptâ pro maiore eâ pro-  
positione quæ antea erat minor, contradictoria ve-  
rò conclusionis assumitur pro minore, & pro con-  
clusionem inferitur contradictoria majoris converse  
simpliciter, ut

CE Nullus equus currit

Celantes. LAN Omne hinnibile est equus, ergo  
TES. Nullum currens est hinnibile.

Hoc modo reducitur ad Darij,

DA Omne hinnibile est equus,

Darij. RI Aliquod currens est hinnibile, ergo

I. Aliquod currens est equus.

Quæ conclusio est contradictoria hujus, Nullum  
currens est equus, hæc autem convertitur simpliciter  
cum illâ nullus equus currit, quæ fuit maior concessa  
in priori syllogismo. Ad quæ memoriâ retinenda,  
duo hæc carmina composuerunt Dialectici pro mo-  
dis imperfectis primæ figuræ,

Major sit minor, & sit contradictio major,

Excipe Celantes in quo convertitur ordo.

Pro secunda item & tertia figurâ, hæc carmina de-  
serviunt:

Servant maiorem, variatq; secundâ minorem:

Tertia maiorem variat, servatq; minorem:

Hoc est, in secundâ figurâ eadem manet maior in  
utroque syllogismo, pro minori sumitur contradi-  
ctoria conclusionis negatæ, & pro conclusione in-  
fertur contradictoria minoris prioris syllogismi, quæ  
tamen antea fuit concessa: & hac ratione respon-  
dens duas contradictorias cogetur admittere, ut  
constat in hoc syllogismo in Baroco.

BA Omnis homo est risibilis,

Baroco. RO Aliquis equus non est risibilis, ergo

CO. Aliquis equus non est homo.

Si quis hanc conclusionem neget, sic reducitur ad  
Barbara.

BAR Omnis homo est risibilis

Barbara. BA Omnis equus est homo, ergo

RA. Omnis equus est risibilis.

In tertiâ figurâ maior, quæ est varianda, sit contra-  
dictoria conclusionis, minor maneat eadem in utro-  
que syllogismo, & conclusio sit oppositum maioris  
antea concessæ.

Ut autem cognoscatur ad quem modum ex per-  
fectis imperfecti syllogismi reducendi sint, omittis  
alijs, facillima, meo iudicio, ratio est ex dispositio-  
ne præmissarum secundum regulas jam traditas. Si  
namque assumendo contradictoriam conclusionis  
pro alterâ præmissâ, & alteram retinendo, inve-  
niantur præmissæ esse duæ universales affirmativæ,  
reducetur syllogismus ad Barbara, si inveniantur una  
præmissa universalis negatæ, & altera universalis  
affirmativæ, reducetur ad Celarent, & sic de Darij &  
Ferio.

## SECTIO V.

### De syllogismo Expositorio, Hypothetico, & Modali.

Syllogismus expositivus (sic dictus tum quod ita  
clarus sit, ut rem oculis videatur exponere, tum  
quod exponat syllogismum constantem termino  
communi) est syllogismus habens pro medio termi-  
num singularem, ut, hic homo currit, Petrus est hic homo,  
ergo Petrus currit. Terminus verò singularis duplex  
est, incommunicabilis ut Petrus, hic homo, &c. &  
communicabilis, qualis est Essentia Divina, quæ ea-  
dem numero identificata invenitur cum tribus Per-  
sonis Divinis realiter inter se distinctis. Ut ergo syl-  
logismus expositivus constans hoc termino singu-  
lari communicabili, seu Essentiâ Divinâ concludat,  
debet medius ille terminus distribui saltem in una  
præmissarum, ut, omne quod est Essentia, est Pater &c.  
ut supra declaravimus sec. 2. & in hoc est differen-  
tia inter terminum singularem communicabilem,  
& terminum singularem incommunicabilem. Hic  
syllogismus confici potest in varijs modis & figuris,  
& etiam reduci sicut alij.

Syllogismus hypotheticus est, cuius vel utraq; vel  
altera saltem præmissa est propositio hypotheti-  
ca, ut, vel Petrus currit, vel Paulus loquitur, sed Paulus  
non loquitur, ergo Petrus currit: de quo id solum no-  
tandum,

XII.

Baroco  
per impos-  
sibile redu-  
citur ad  
Barbara.

XIII.

Modus re-  
ducendi per  
impossibile  
in tertiâ  
figura.

XIV.

Modus re-  
ducendi per  
impossibile  
in tertiâ  
figura.

Modus re-  
ducendi per  
impossibile  
in tertiâ  
figura.

Modus re-  
ducendi per  
impossibile  
in tertiâ  
figura.

Modus re-  
ducendi per  
impossibile  
in tertiâ  
figura.

Modus re-  
ducendi per  
impossibile  
in tertiâ  
figura.

Modus re-  
ducendi per  
impossibile  
in tertiâ  
figura.

Modus re-  
ducendi per  
impossibile  
in tertiâ  
figura.

Modus re-  
ducendi per  
impossibile  
in tertiâ  
figura.

Modus re-  
ducendi per  
impossibile  
in tertiâ  
figura.

Modus re-  
ducendi per  
impossibile  
in tertiâ  
figura.



tandum, reduci debere ad eum modum ad quem reducuntur illius categoricae.

Declaratur  
natura syllo-  
gismi moda-  
lis.

Modalis is est, cujus una vel utraque praemissa fuerit modalis: in quo id cavendum, ne mutetur suppositio copulatae in distributivam, unde non valet hic syllogismus, vitare omne peccatum veniale est impossibile, sed mendacium jocosum est peccatum veniale, ergo vitare mendacium jocosum est impossibile. Ratio est, quia suppositio copulata majoris mutatur in distri-

butivam in conclusione, cum cuilibet particulari applicetur idem praedicatum quod antea applicabatur omnibus collectivis sumptis, seu toti collectioni.

De fallaciis nihil hic necessarium addendum iudico, vel quia multae detectu faciles sunt, vel quia suis quasque locis antea deteximus.

Hic ergo disputationum Introductionis ad Logicam finis esto. Nunc ad paulo, imò haud paulo majora pergamus.

IV



R. P. Th. Comptoni Philosophia.

C 2

DISPU;